AUTHOR: RUMMLER, LUDWIG

TITLE: C. PLINII SECUNDI PHILOSOPHUMENA

PLACE: SEDINI

DATE: 1862

Master Negative #

91-80191-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rummler, Ludwig, 1839-
C. Plinii Secundi philosophumena; commentatio philologica. scripsit Ludovicus Rummler. Sedini, typis R. Grassmanni. 1862.
66 p. 20 cm.

Thesis, Greifswald, 1862.

365149

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/26/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

C. PLINII SECUNDI PHILOSOPHUMENA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE X MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LUDOVICUS RUMMLER
JAVORIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
JOH. SCHULTZE, Drd. phil.
E. HIECKE, cand. phil.
L. DORSCHEL, cand. phil.

SEDINI MDCCCLXII.

TYPIS R. GRASSMANNI.

C. PLINII SECUNDI PHILOSOPHUMENA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

LUDOVICUS RUMMLER.

SEDINI 1862.

TYPIS R. GRASSMANNI.

PRAEFATIO.

In C. Plinii Secundi philosophumena inquirere usque ad nostram aetatem nemo suscepit. Quare ego Godofredo Bernhardio auctore (h. l. Rom. p. 275 ed. tert.) monenteque Ill. Hertzio hanc provinciam tam diu neglectam capere conatus sum, non quo me perfectum opus editurum esse arbitrarer, sed ut materiem tantum colligerem, recte disponerem meumque interponerem judicium. Ac congesta materia totiusque operis dimidia parte jam conscripta Vorhauseri de eadem re dissertatio in progr. Gymnas. Oenopontani 1860 publicata mihi innotuit. Quo ex libello, quamquam satis scite conscripto, fructum percepi nullum, quoniam de rebus, quae summi sunt momenti, veluti de ratione, quae inter deum et mundum intercedit, de providentia, de divinatione etc. scriptor nimis breviter disputavit. — In meo quidem opusculo viri docti multa certe vel desiderabunt vel rejicient, sed propositi si vel exiguam partem perfecero, quodque suscepi munus aliquomodo explevero, habebo sane quod consilii mei non poeniteat.

Introductionem dissertationi praemissam, in qua de genuina religionis Romanae natura, de doctrinis quae cum ratione, quae religioni illi subest, plus aut minus consentiunt et de temporum ratione quibus Plinius vixit exposui, typis excudi nolui, ne libelli fines nimis extenderentur.

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER MUNDUM ET DEUM.

Ut quae hac de re Plinius statuerit, exponan, locum longiorem ex libro II. desumptum affere placet. Sunt vero scriptoris verba haecce. „Mundum et hoc quodcumque nomine alio caelum appellare libuit, cujus circumflexu degunt cuncta, numen esse credi par est, aeternum inmensum, neque genitum neque interiturum unquam. Hujus extera indagare nec interest hominum, nec capit humanae conjectura mentis. Sacer est, aeternus, inmensus, totus in toto, immo vero ipse totum, infinitus ac finito similis, omnium rerum certus et similis incerto, extra intra cuncta complexus in se, idemque rerum naturae opus et rerum ipsa natura. Furor est mensuram ejus animo quosdam agitasse atque prodere ausos, alios rursus occasione hinc sumpta aut his data innumerabilis tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret, aut si una omnes incubarent, totidem tamen soles totidemque lunas et cetera etiam in uno et inmensa et innumerabilia sidera, quasi non eadem quaestione semper in termino cogitationis occursura desiderio finis alicujus, aut, si haec infinitas naturae omnium artifici possit adsignari, non idem illud in uno facilius sit intellegi, tanto praesertim opere · furor est, profecto furor, egredi ex eo et tanquam interna ejus cuncta plane jam nota sint, ita scrutari extera, quasi vero mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat

aut (miror!) homines videre quae mundus ipse non capiat. Formam ejus in speciem orbis absoluti globatam esse nomen inprimis et consensus in eo mortalium orbem appellantium, sed et argumenta rerum docent, non solum, quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese ac sibi ipsa toleranda est seque includit et continet nullarum egens compagum nec finem aut initium ullis sui partibus sentiens, nec quia ad motum, quo subinde verti mox adparebit, talis aptissima est, sed oculorum quoque probatione, quod convexus mediusque quacumque cernatur, cum id accidere in alia non possit figura. Hanc ergo formam ejus aeterno et inrequieto ambitu, inenarrabili celeritate, viginti quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et occasus haud dubium reliquere. An sit inmensus et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine adsidua sonitus non equidem facile dixerim, non, Hercule, magis quam circumactorum simul tinnitus siderum suosque volventium orbis an dulcis quidam et incredibili suavitate concentus·nobis qui intus agimus juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus. Esse innumeras ei effigies animalium rerumque cunctarum inpressas, nec, ut in volucrum notamus ovis, laevitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixere, rerum argumentis indicatur, quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus innumerae, in mari praecipue, ac plerumque confusis monstrificae gignantur effigies, praeterea visus probatione, alibi ursi, tauri alibi, alibi litterae figura, candidiore medio per verticem circulo. Equidem et consensu gentium moveor·nam quem *κόσμον* Graeci nomine ornamenti appellavere eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum· caelum quidem haut dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adjuvat rerum ordo descripto circulo qui signifer vocatur in duodecim animalium effigies et per illas solis cursus congruens tot saeculis ratio [1])." — Primum quidem ex hoc loco intelligitur, Plinium mundum r e r u m n a t u r a e o p u s

[1]) Plin. II, §. 1—9.

et r e r u m i p s a m n a t u r a m habuisse. Deum igitur a mundo non esse separatum credidit, sed mundi esse partem, omnia, ut Stoici dicere solent, permeantem, omnia conformantem atque regentem. Quae colligenda videntur tum ex verbis „rerum naturae opus et rerum ipsa natura", tum ex alio quoque loco, quem integrum afferam opus est. „Inperfectae vero, inquit, in homine naturae praecipua solatia, ne deum quidem posse omnia, — namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optumum in tantis vitae poenis, nec mortalis aeternitate donare aut revocare defunctos, nec facere ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, — nullumque habere in praeterita jus praeterquam oblivionis, atque (ut facetis quoque argumentis societas haec cum deo copuletur) ut bis dena viginti non sint aut multa similiter efficere non posse, p e r q u a e d e c l a r a t u r h a u t d u b i e n a t u r a e p o t e n t i a, i d q u e e s s e q u o d d e u m v o c e m u s [1])." Plane vero hac de re Plinius cum stoicis consentire videtur, ex quorum doctrina optime explicari potest, quo sensu mundum naturae rerum opus et rerum ipsam naturam appellaverit [2]). Stoici enim docuerunt, ex igne divino (rerum natura) omnia n a t u r a l i q u a d a m l e g e, q u a e i n i g n e i l l o d i v i n o i n s i t f a c t a

[1]) Plin. II, §. 27. — [2]) Die Welt ist die Gesammtheit alles Wirklichen; alles Wirkliche ist aber ursprünglich in der Gottheit enthalten, sie ist der Stoff von Allem und die wirksame Kraft, welche diesen Stoff zu den Einzelwesen gestaltet. Es lässt sich schlechterdings nichts denken, was nicht entweder die Gottheit selbst unmittelbar, oder eine Erscheinungsform der Gottheit, eine von den Gestalten wäre, unter denen das Urwesen in der Welt existirt. Ihrem Wesen nach sind daher W e l t u n d G o t t s c h l e c h t h i n d a s s e l b e, wie denn auch beide Begriffe von den Stoikern in der Regel als gleichbedeutend gebraucht werden, und der Unterschied beider kann nur ein Zufälliges, nur den jeweiligen Zustand oder die Form der Existenz betreffen: d a s g l e i c h e a l l g e m e i n e W e s e n h e i s s t G o t t, w e n n e s i n s e i n e r E i n h e i t, W e l t, w e n n e s i n s e i n e r E n t f a l t u n g, in der M a n n i g f a l t i g k e i t der F o r m e n betrachtet wird, die es im Verlaufe seiner Entwickelung annimmt. Zeller de Graec. phil. III, 1. p. 77 et 78. —

esse. Rectissime igitur mundus ignis illius divini (rerum naturae) opus dicitur. Sed cum in igne divino (rerum natura) totus mundus, qui nunc, ut verba Aristotelia adhibeam, in actu se praestat, jam in potentia extaret, non ineptum est, mundo in actu eandem tribuere significationem, quam mundo in potentia. Quare rectissime Plinius mundum rerum ipsam naturam appellavit. Locutio quidem „rerum natura" nihil aliud significat, quam quod a Graecis *φύσις* appellatur [1]). Neque tamen omnes inter Graecos atque Romanos locutioni illi eandem vim tribuerunt. Aii enim, ut Cicero explicat (de nat. deor. II, 32 §. 81) naturam (*φύσιν*) censuerunt esse vim quandam sine ratione cientum motus necessarios, alii vim participem rationis atque ordinis, tanquam progredientem declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, quid sequatur, cujus sollertiam nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Quae a Cicerone de Stoicis inprimis et Epicureis dicta esse, non est quod moneam. Stoici certe naturam rationalem habuerunt, eorumque vestigia Plinius quoque secutus esse videtur. Confirmatur vero, ut testimonium afferam, hoc loco: „Quibus in rebus (scilicet variis atque mirificis terrae miraculis) quid possit aliud causae adferre mortalium quisquam quam diffusae per omne naturae subinde aliter atque aliter numen erumpens [2])?" Numinis enim voce, mea quidem sententia, vis quaedam rationalis intelligi videtur. Ceterum Plinius innumerabilibus fere locis naturae sapientiam, providentiam benegnitatem laudibus extollit. Sed hac de re copiose in capite de providentia agendum erit. — Ex iis quidem omnibus, quae adhuc explicavimus plane consentaneum esse intelligitur, Plinium mundum numen habuisse. Qua de re eum cum stoicis consensisse, sufficere videtur Didymum tantum (apud Euseb. praep. ev. XV, 151) ita disserentem laudare: *Ὅλον δὲ τὸν κόσμον σὺν τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι προσαγορεύουσι θεόν.*

Cum igitur totum mundum numen credi par esse putaret,

[1]) Urlichs. Chrest. Plin. p. 2 adn. 2. — [2]) Plin. II, §. 208.

non ineptum erat, quod singulis mundi partibus, in quibus divinae potentiae vis prae ceteris apparere videretur, numinis significationem tribuit. Quare sidera, sol potissimum et luna ab eo numina appellantur [1]). Ejusdem generis est, quod terram deam esse censet, quippe in qua naturae numen mirabiliter variis modis, ut Plinius dicit, erumpat [2]). Praedicat eam quasi animal laudatque valde ejus benignitatem, sed simul ut semper fere solet, flebiles cantat elegos propter scelera ab hominibus in eam commissa: „Quas non ad delicias, inquit, quasque non ad contumelias servit homini? In maria jacitur, aut ut freta admittamus eroditur. Aquis, ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis, multoque plus ut deliciis, quam ut alimentis famuletur nostris. Ut tamen quae summa patiatur atque extrema cute tolerabilia videantur, penetramus in viscera auri argentique venas et aëris ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam et quosdam parvolos quaerimus lapides scrobibus in profundum actis · viscera ejus extrahimus · ut digito gestetur, gemma petitur · quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! si ulli essent inferi, jam profecto illos avaritiae atque luxuriae cuniculi refodissent! et miramur si eadem ad noxam genuit aliqua? Ferae enim, credo, custodiunt illam arcentque sacrilegas manus. Non inter serpentis fodimus et venas auri tractamus cum veneni radicibus? placatiore tamen dea ob haec, quod omnes hi opulentiae exitus ad scelera caedisque et bella tendunt, quodque sanguine nostro rigamus insepultisque ossibus tegimus, quibus tamen velut exprobrato furore tandem ipsa se obducit et scelera quoque mortalium occultat [3])." Prae ceteris tamen in sole divinam vim posuit, quem ita praedicat, ut in eo solo illa vis inesse videri possit. „Hunc, inquit, esse mundi totius animum ac planius

[1]) Plin. II, §. 54: Viri ingentes supraque mortalium naturam tantorum numinum lege deprehensa et misera hominum mente absoluta in defectibus scelera aut mortem aliquam siderum pavente etc. (agitur de iis, qui solis lunaeque defectus praedixerunt). — [2]) Cfr. II, §. 208. — [3]) Plin. II, §. 157—160.

mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decet opera ejus ejus aestumantis [1]." In eandem fere de sole sententiam Cleanthes inclinavit, qui solem *ἡγεμονικόν τοῦ κόσμου* esse [2]) vel, ut Cicero dicit, dominari rerumque potiri [3]) docuit. Num Plinius hancce de sole opinionem a Cleanthe acceperit an ipse sibi finxerit, pro certo dici nequit. Ceterum ego quidem opinor, Plinium magis verbis quam animo talem vim soli tribuisse. Nimis enim vividis coloribus et in laudando et in vituperando uti solet, ut saepius non veri tantum fines, sed veram suam ipsius sententiam excedat. Cujus rei illustre quoddam exemplum extat in libro XIX, §. 6 ubi artis navalis inventorem hisce verbis increpat: „nulla exsecratio sufficit contra inventorem..., cui satis non fuit hominem in terra mori, nisi periret et insepultus." Quam veram fuisse Plinii sententiam, qui ipse praefecti classis munere fungebatur, nemo mihi persuadebit. Itaque nihil aliud Plinio de sole probatum fuisse arbitror, quam solem esse principalem quandam vis divinae sedem. Ceterum hanc sententiam, quam II, §. 13 tam certam poposuit, jam §. 14 ut dubiam minimeque certam pronuntiat. Concedit enim et alium deum i. e. aliam principalem vis divinae sedem esse posse [4]). Res igitur eo redit, ut deum per totum mundum diffusum statuat, partem tamen esse aliquam, in qua prae ceteris vis divina appareat. Qua in parte id fiat, Plinius pro certo dicere non audet: modo solem, modo terram modo reliqua sidera pro principali rerum naturae sede accipit. Jam vero totam de divina natura siderum opinionem Plinium non sibi ipsum finxisse per se apparet, cum talia a Pythagoreis [5]) ab Academicis [6]) a Peripateticis [7]) a Stoiciis [8]) esse tradita satis notum sit. Quorum ex fontibus Plinius hauserit vix dici potest: equidem sane scriptorem ut saepius sic hac quoque in re ad Stoicos se applicasse suspicor.

---

[1]) Plin. II, §. 13. — [2]) Diog. Laërt. VII, 138. — [3]) Cic. Acad. II, §. 126. — [4]) Quisquis est deus, si modo est alius (sc. ac sol) et quacunque in parte totus est sensus etc. — [5]) Zeller I, 124. — [6]) Zeller II, 306 seq. — [7]) Zeller II, 468. — [8]) Zeller III, 98. 110. —

Cum igitur de sede vis divinae nihil certi proferat, vix offendit, quod de vera illius vis natura non satis perspicuam rationem habet. Virtutes quidem egregias in ea posuit: „Totus [1]) est sensus, inquit, totus auditus, totus animae, totus animi, totus sui." Quae aliquo modo Xenophanem sapere videntur ita de deo canentem: *οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δ' ἐπακούει* [2]).

Restat ut epitheta quaedam, quae magis in mundum, quam in deum cadunt, considerem. Eum enim aeternum dixit, immensum, neque genitum, neque interiturum. Credo autem de his epithetis postea, cum de mundo copiose exponitur, melius agi posse; quare nunc ea omitto. De reliquis vero quae paragrapho secunda libri II. de mundo dixit, me nescire, quid Plinius sibi voluerit, confiteri malo, quam hariolari. Plane enim non intelligo, quid Plinius sibi finxerit, cum mundum totum in toto immo vero ipsum totum, infinitum ac finito similem, omnium rerum certum, sed similem incerto appellaret. Quae Urlichsius ad haec verba explicanda protulit mea quidem sententia non sufficiunt. [3]).

Cum igitur Plinio probatum esset, deum nihil aliud esse, quam vim quandam totum mundum permeantem, deos vulgo creditos, ut commenta vana fabulasque a poëtis inventas prorsus contempsit totamque populi religionem verbis satis acerbis castigavit. „Innumeros quidem, inquit, (scil. deos) credere atque etiam ex vitiis hominum, ut Pudicitiam Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut (ut Democrito placuit) duos omnino, Poenam et Beneficium, majorem ad socordiam accedit. Fragilis et laboriosa mortalitas in partis

---

[1]) Zeller II., §. 14. — [2]) Sext. Empir. IX., 144. — [3]) Urlichs Chrest. Plin. p. 2 adn. 2: Diese scheinbar widersprechenden Bezeichnungen finden ihre Erklärung in der pantheistischen Auffassung der Welt und Natur. Insofern diese als das Geschaffene, oder als der Schöpfer, was sie beides gleichmässig ist, betrachtet wird, erscheint sie als unendlich und endlich, begrenzt und unbegrenzt u. s. w.

ista digessit infirmitalis suae memor, ut portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus et numina in iisdem innumerabilia invenimus, inferis quoque in genera descriptis, morbisque et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. Ideoque etiam publice Febris fanum in Palatio dicatum est. Orbonae ad aedem Larum ara et Malae Fortunae Esquiliis.

Quamobrem major caelitum populus etiam quam hominum intellegi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant Junones Geniosque adoptando sibi, gentes vero quaedam animalia et aliqua etiam obscena pro dis habeant ac multa dictu magis pudenda, per fetidas cepas alia et similia jurantes. Matrimonia quidem inter deos credi tantoque aevo ex his neminem nasci et alios esse grandaevos semper canosque, alios juvenes atque pueros, atri coloris, aligeros claudos, ovo editos et alternis diebus viventis morientisque, puerilium prope deliramentorum est · sed super omnem impudentiam adulteria inter ipsos fingi, mox jurgia et odia atque etiam furtorum esse et scelerum numina [1])." Quo loco Plinium acerbissime religionem popularem increpare atque etiam Epicuream jocandi consuetudinem imitatum illudere intelligis [2]). Deorum vero fidem necessitatum ratione esse ortam putavit, cum fragilis et laboriosa mortalitas dei virtutes in partes digesserit infirmitatis suae memor, ut portionibus coleret quisque quo maxime indigeret (§. 15). Quam sententiam jam

[1]) Plin. II., §. 14—18. — [2]) Quod verba: „Quamobrem major caelitum populus etiam quam hominum intelligi potest" ostendere videntur. Praeterea cfr. II., §. 19: Jovem quidem aut Mercurium aliterve alios inter se vocari et esse caelestem nomenclaturam, quis non interpretatione naturae fateatur inridendum? (Ita cum Urlichsio legendum censeo.) Ad quae verba Urlichsius haec notavit: Der Witz, wie manche andere bei Plinius schmeckt nach der Art Epicur's, den Cic. de nat. deor. II., 17 (§. 46) homo non aptissimus ad jocandum nennt.

Prodicus Sophista protulerat, qui ea quae prodessent hominum vitae deorum in numero habita esse dixit [1]). In eandem fere sententiam de origine deorum vulgo creditorum Stoici inclinaverunt. Sapientissimos enim viros et Graecorum et Romanorum quidquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri credidisse. Itaque tum illud, quod esset a deo natum, nomine ipsius dei nuncupasse, veluti fruges Cererem, vinum Liberum, tum autem rem ipsam, in qua vis major aliqua appareret, ita appellatam esse, ut ea ipsa nominaretur deus, ut Fidem, ut Mentem. Ita omnes res, quarum vis talis esset, ut sine deo regi non posset, deorum obtinuisse nomina [2]). Sed quamquam tali modo populares deos esse ortos Stoici habebant persuasum, tamen fidem, quae a populo diis illis habebatur, non rejecerunt [3]). Plinius autem, ut illo, quem citavimus loco, comprobatur, prorsus religioni populari repugnat. Etenim cum dei omnino effigiem quaerere imbecillitatis humanae esse putaret ac deum totum sensus [4]) totum visus, totum auditus, totum animae, totum animi, totum sui haberet; innumeros credere deos atque etiam ex vitiis hominum pro ingenti stultitia accipere debuit. Porro quantis ineptiis populi religio sit imbuta, eo comprobavit, quod cum omnes Junones Geniosque sibi adoptarent coelitum numerus jam major esset, quam hominum. Tum poëtarum inventa castigat, eadem fere iis objiciens, quae jam Xenophanes versibus illis clarissimis:

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ᾽ Ἡσίοδός τε
ὅσσα παρ᾽ ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστί,
Κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν [5]).

[1]) Cic. de nat. deor I., 42 §. 118. — [2]) Cic. de nat. deor. II., 23 §. 60. — [3]) Ibid.: „non sine causa et a Graeciae sapientissimus etc. constitutae nominataeque sunt (scil. deorum naturae). — [4]) Cum Urlichsio (Chrest. Pl. p. 6 not. 14) in verbis „totus sensus, totus visus, totus auditus" substantiva Genitivo casu esse adhibita arbitror. — [5]) Sextus Empir. IX., 193.

Notatu quidem dignum videtur, quod Varro, quem in initio libri II. secutum esse iis, quae Brunnius [1]) exposuit, confirmatur, eadem ratione contra *μυθικόν* theologiae genus disputavit. Exstat hic locus apud Augustinum Civ. Dei VI. 5. „Primum (theologiae genus), inquit, quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta: in hoc ut dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini, denique in hoc omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt." Prorsus tamen planeque fidem diis habendam Plinius repudiare non vult propter fructus, qui inde in vitam humanam redundant. „Verum, inquit, in his deos agere curam rerum humanarum credi ex usu vitae est, poenasque maleficiis aliquando seras occupato deo in tanta mole, nunquam autem irritas esse [2])". Quare si dii credantur necesse est, non prorsus ineptum esse putat eos inter deos referre, qui de hominibus bene meriti sint. „Deus est mortali juvare mortalem et haec ad aeternam gloriam via. Hac proceres iere Romani, hac nunc caelesti passu cum liberis vadit maximus omnis aevi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribant. Quippe et omnium aliorum nomina deorum et quae supra retuli siderum ex hominum nata sunt meritis [3])". Haec sane non aliena sunt ab Euhemeri doctrina. Is enim Cassandri tempore in libro „*ἱερὰ ἀναγραφή*" omnes deos homines fuisse contendit [4]) et ex sepulcris atque inscriptionibus in templis inventis comprobare studuit. Quod ut ei contingeret, multum valuit, quod apud Graecos jam inde ab antiquissimis temporibus moris erat, ut viri bene meriti inter deos referrentur, velut Neleus et Androclus, qui colonias in Asiam deduxerant; Lysander aliique [5]).

---

[1]) Brunn. de indic. Plinian. Bonnae 1856, p. 4. — [2]) Plin. II., §. 26. — [3]) Plin. II., §. 18. — [4]) Cic. de nat. deor. I., §. 119. — [5]) Cfr. Krahner Grundlinien zur Geschichte etc. p. 32 not. 2.

Euhemeri quidem ipsius ingenium non tantis laudibus tollendum est, quantis a plerisque viris doctis usque ad nostram aetatem, tamen permultum libro illo publicato eum ad veterem in deos fidem evertendam valuisse vix negandum sit [1]). Illius vero libri vim prorsus non mediocrem apud Romanos fuisse arbitror, quod jam princeps quasi Romanarum litterarum Ennius eum in latinum sermonem transtulit. Ciceronis quidem aetate multos fuisse, qui Euhemereae illi historicae, quae vocatur fabularum interpretationi operam darent, praeter alia testimonia jam ex loco Ciceroniano supra citato intelligi licet [2]). Prae ceteris vero Varro nominandus est, qui non modo illam fabularum interpretationem non repudiavit, sed Euhemeri vestigia secutus sua Minerva fabulas interpretari studebat [3]). Apud nostrum autem scriptorem permulta extant, quae Euhemerum sapiant. Ita Mercurium, Liberum Cererem homines fuisse inventis utilissimis bene meritos credidit. „Mercurius, inquit, emere ac vendere instituit, Liber pater vindemiare. Idem diadema regium insigne, et triumphum invenit, Ceres frumenta, cum antea glande vescerentur. eadem molere et conficere in Attica et alia in Sicilia, ob id dea judicata, eadem prima leges dedit, ut alii putavere Rhadamanthus [4])." Quod ad hunc locum attinet, silentio praetermitti non potest, Plinium duas distinguere Cereres. Quae ratio eorum theologorum est, qui saepius apud Ciceronem in libris de natura deorum citantur, quam Joannes

---

[1]) Krahner immerito aliter statuere videtur. Dicit enim: „Aber auch in Hinsicht auf seine Wirkungen können wir in dem Buche nur eine ephemere Erscheinung erblicken." Grundlinien etc. p. 33. Rectius mea quidem sententia Mommsenius (Röm. Gesch I., p. 843, II. ed.) Trotz oder auch durch seine Plattheit und Tendenzmacherei machte das Produkt in Griechenland ein unverdientes Glück und half in Gemeinschaft mit den gangbaren Philosophien die todte Religion begraben. — [2]) Cic. de nat. deor. II., §. 119. — [3]) Lobeck Aglaoph. I., 139. — [4]) Plin. VII., § 191. Ceterum cfr. quae in eodem capite de Prometheo, de Bellerophonte, de Centauris dicta sunt. Praeterea cfr. XI., §. 123; XII., §. 11; XIII., §. 100.

Lydus [1]) τὸν ἡρωϊκὸν καὶ μεριστικὸν λόγον appellavit [2]). Talibus autem disquisitionibus Plinius non nimiam tribuisse vim ex verbis ejus de apibus intelligitur: „Quaerat nunc aliquis unusne Hercules fuerit et quot Liberi patres et reliqua vetustatis situ obruta [3]).“ Diligentiam enim in naturae miraculis collocatam pluris faciendam esse atque ex ea in vitam humanam longe meliores fructus redundare persuasum habebat.

Qui Euhemeri doctrinam apud Romanos tam late patuisse mirantur, non obliviscantur oportet, nonnulla in religione Romana extare, quae Euhemereae doctrinae aliquo modo respondeant; fidem nempe manibus habitam. Manes enim piorum hominum non ad inferos descendere credebantur, sed posteriorum suorum curam sortiti pacato et quieto numine domum possidere. His Manibus, quos Lares dicebant, Romani preces deferebant, sacra faciebant, tales omnino honores tribuebant, quales ceteris diis [4]). Sed cum nullam virtutem magis ad deorum numen accedere crederent, quam de republica bene mereri, boni imperatores prae ceteris hominibus digni viderentur necesse erat, qui post mortem divinis honoribus colerentur. Quos honores Vespasianum quoque Augustum, quod rempublicam labefactatam instaurasset, una cum liberis suis adepturum esse scriptor noster credidit, vel credere se simulavit. Etenim aliis locis immortalitatem animi et fidem manibus, laribus, geniis habitam nonnisi vanam opinionem esse, satis disertis verbis affirmat. Qua de re satis est hunc unum locum citare: „Post sepulturam variae manium ambages. Omnibus a suprema die eadem quae ante primum, nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem · eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat et in mortis quoque tempora sibi vitam mentitur, alias inmortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando et manis colendo deumque faciendo,

¹) Jo. Lyd. de mens. IV., 48. — ²) Schoem. praef. de nat. deor. p. 7. — ³) Plin. XI., §. 52. — ⁴) Cic. de leg. II., §. 22.

qui jam etiam homo esse desierit, ceu vero ullo modo spirandi ratio ceteris animalibus distet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat inmortalitatem [1]).“

Sed ut Plinius „deos innumeros“ vulgo creditos repudiavit, ita Fortunae quoque cultum illis temporibus nimis late patentem prorsus abjicerit necesse erat. Quam deam, quamquam jam inde ab antiquissimis temporibus Romani venerati erant, summis tamen honoribus coluerunt Plinii aetate. „Toto, quippe, ait ille, mundo et locis omnibus omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur ac nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et caeca existumata, vaga, inconstans, incerta varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit, adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incertus [2]).“ Quem Fortunae cultum Plinium non, ut saepissime de aliis rebus agere solet, nimis vividis coloribus depinxisse, permultis testimoniis ex scriptoribus illius aetatis, maxime ex poëtis repetitis confirmatur [3]). Fuerunt tamen, Plinio teste [4]), qui hanc quoque deam nihili haberent atque sideribus hominum sortem regi crederent. Quam superstitionem valde fuisse vulgatam eique etiam imperatores quosdam indulsisse jam supra notavimus. Noster autem scriptor ab hisce de siderum vi opinionibus omnem fidem abjudicavit: qua de re copiosius in capite de divinatione agendum erit.

¹) Plin. VII., §. 188. — ²) Plin. II., §. 22. — ³) Cfr. ea quae Schmidt Geschichte der Denk- und Glaubensfreiheit etc. p. 257 congessit. — ⁴) Plin. II., §. 23: Pars alia et hanc (Fortunam scil.) pellit astroque suo eventus adsignat nascendi legibus, semelque in omnis futuros unquam deo decretum, in reliquom vero otium datur. Sedere coepit sententia haec, pariterque et eruditum volgus et rude in eam cursu vadit.

Explicatis igitur, quae Plinius de diis vulgo creditis judicaverit, revertimur eo, unde deflexi sumus. Ac mundum immensum, aeternum, neque genitum, neque interiturum unquam scriptorem nominasse, jam commemoratum est, neque tamen accuratius in haec epitheta inquisivimus. Quam ad rem nunc nos accingamus. Stoici quidem, quorum vestigia maxime scriptor noster sequitur, omnia ex igne divino facta esse omniaque in ignem illum secundum temporis ordinem consumi docuerunt. Inde sane sequitur, mundum qualem nunc videmus, minime aeternum esse; semper manere ignem tantum, qui consumptione confecta mundum iterum ex se exserat. Sed hanc doctrinam nonnulli iidemque clarissimi inter recentiores stoicos non probaverunt. Ita, ut alios omittam, Panaetium exustionem mundi negasse, satis constat [1]). Aliter res se habet de Posidonio, quem vulgo una cum Panaetio a vulgari doctrina recessisse dicunt [2]). Substantiam enim (*οὐσίαν*) semper manere, neque augeri neque minui additione vel detractione Posidonius cum ceteris stoicis docuit. Si Posidonius autem *ἀνάλυσιν* non fieri nisi *περὶ τὸ ποιὸν τὸ ἐπὶ τῆς οὐσίας γινόμενον* putavit, vulgari stoicorum doctrinae, materiam manere, qualitatem mutari plane non repugnavit [3]). Sed eum discrepuisse permulti inde tantum suspicabantur, quod mundi aliquando *διάλυσιν* futuram esse contendit. Cujus rei testem habemus Plutarchum ita disserentem: *Οἱ δὲ Στωϊκοὶ εἰς ὃ κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν ἀναλύεται* (scil. *ὁ κόσμος*) *τὸ ἄπειρον* [4]) et Eusebium: *Ποσειδώνιος οὐκ ἄπειρον, ἀλλ' ὅσον αὐταρκὲς εἰς τὴν διάλυσιν ἐν τῷ πρώτῳ, περὶ κενοῦ* [5]). Quae *διάλυσις* cur *ἐκπόρωσις* esse non possit, nemo intelligit. Accedit etiam

[1]) Diog. Laärt. VII., 142. — [2]) Cfr. Posidonii fragment p. 53, et quem Philonis Judaei locum Bakius citavit: *Βόηθος καὶ Ποσειδώνιος καὶ Παναίτιος···· τὰς ἐκπυρώσεις, καὶ παλιγγενεσίας καταλιπόντες πρὸς θειότερον δόγμα τῆς ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου παντὸς ηὐτομόλησαν* de aeternit. mundi tom. II., p. 497 ed. Mang. — [3]) Cfr. Stob. Ecl. I., 21 p. 37, Bake frag. Posid. p. 54. — [4]) Plut. plac. phil. II., 9. — [5]) Praep. ev. p. 844 D.

quod testimonia satis multa apud Diogenem Laërtium extant [1]) quae Posidonium inter eos fuisse, qui exustionem mundi statuerent, commonstrant [2]). Quo jure igitur Urlichsius in adnotatione ad Chrest. Plin. p. 2 Posidonium inter eos retulerit, qui mundum aeternum esse censerent Pliniumque ab illo ac Panaetio de mundi aeternitate doctrinam accepisse contenderit, non video. Si Plinius igitur mundum aeternum esse dixit, aut Panaetium aut suum ipsius ingenium secutus est. Ejusdem fere naturae est, quod longe a stoicis recedens mundum immensum habuit. Illi enim cum nihil praeter corporeum extare putarent [3]), corporea autem omnia finibus certis circumscripta sint oporteat, mundum quoque neque infinitum neque immensum esse docuerunt [4]). In mensuram igitur mundi inquirere non erat, cur non homine dignissimum negotium haberent. Et re vera multi iidemque eximii stoicae disciplinae sectatores, velut Posidonius, hujusmodi rebus operum navaverunt [5]). Plinius autem vehementissime tales conatus increpat. „Furor est, inquit, egredi ex eo (scil. mundo) tanquam interna ejus cuncta plane nota sint, ita scutari extera, quasi vero mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat, aut (miror!) homines videre, quae mundus ipse non capiat [6]).“ Mundi certe majestatem ita admiratur, ut qui res tam occultas ad lucem proferre studeant, quasi scelus in naturam committere videantur. Itaque siderum a sole intervallorum mensuram agere rem fere nefariam habet. „Mirum, inquit, quo procedat inprobitas cordis humuni parvolo aliquo invitata successu, sicut in supra dictis [7]) occasionem impudentiae ratio largitur. Ausique divinare solis ad terram spatia,

[1]) Cfr .Ritter et Preller hist. phil. p. 481 ed. 2. — [2]) Cet. cfr. Zeller III., p. 82 not. 4. — [3]) *ὄντα γὰρ μόνα τὰ σώματα καλοῦσι, ἐπειδὴ ὄντος τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν* Plut. de comm. not. 30. — [4]) *Ἕνα τὸν κόσμον εἶναι καὶ τοῦτον πεπερασμένον* Diog. Laert. VII., 140. — [5]) Plin II., §. 85 seq. — [6]) Plin. II., §. 4. — [7]) Lib. II., §. 85.

eadem ad coelum agunt, quoniam sit medius sol, ut protinus mundi quoque ipsius mensura veniat ad digitos [1]).“

Prorsus vero Plinius a stoicorum partibus in quaestione est, unusne mundus sit, an plures. Nam cum plerique philosophi, inter eos Epicurei, innumerabiles esse mundos contenderent, stoici unum tantum statuerunt. Plinius quidem hac de re ita disputat: „Furor est mensuram ejus quosdam agitasse atque prodere ausos, alios rursus occasione hinc sumpta aut his data innumerabilis tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret, aut si una omnes incubarent, totidem tamen soles totidemque lunas et cetera etiam in uno et inmensa et innumerabilia sidera, quasi non eadem quaestione semper in termino cogitationis occursura desiderio finis alicujus, aut si, haec infinitas naturae omnium artifici possit adsignari, non idem illud in uno facilius sit intellegi, tanto praesertim opere [2]). Quibus de argumentis a Plinio allatis disputare supersedere liceat.

Ac de forma quidem mundi sententiam non a stoicis solis traditam, sed illo tempore jam satis vulgatam secutus „in speciem orbis absoluti (sc. formam mundi) globatam esse [3])“ contendit. Quod ex ejus sententia, nomen inprimis et consensus in eo mortalium orbem appellantium [4]) comprobant. Praeterea „et argumenta rerum docent, non solum quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese ac sibi ipsa toleranda est, seque includit et continet nullarum egens conpagum nec finem aut initium ullis sui partibus sentiens, nec quia ad motum, quo subinde verti mox adparebit, talis aptissima est, sed oculorum quoque probatione, quod convexus mediusque quacumque cernatur, cum id accidere in alia non possit figura [5]).“ De hisce quidem Plinii argumentis nihil fere notandum videtur, nisi quod illis temporibus talia jam satis nota erant. Ete-

[1]) Plin. II., §. 87, praeterea fr. II., §. 3: „furor est, mensuram ejus (scil. mundi) animo quosdam agitasse atque prodere ausos etc. — [2]) Plin. II., §. 3. — [3]) Plin. II., §. 5. — [4]) Ibid. — [5]) Plin. II., §. 5.

nim doctrina illa de globosa mundi forma jam diu philosophorum atque grammaticorum scholis tradita et ex iis divulgata erat. Inter philosophos vero stoici quoque mundum globosum [1]) habuerunt, quare Epicurei illos volubilem et rotundum deum venerari jocabantur [2]). Illud vero silentio praetermitti non potest, quod Plinius consensui hominum mundum orbem appellantium magnam vim tribuit. Namque valde hoc stoicorum doctrinam sapere videtur, quippe qui gentium consensum de omnibus rebus magni facerent. Qua necessitate coacti id fecerint, non meum est exponere, sufficit ad Zellerum ablegare, qui saepius hac de re disputavit [3]). Sed haec de mundi forma disputatio deducit nos ad alteram dissertationis partem, quae est de rebus caelestibus.

DE REBUS CAELESTIBUS.

Totius mundi „formam“, ex Plinii sententia, „aeterno et inrequieto ambitu inenarrabili celeritate viginti quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et occasus haud dubium reliquere [4]).“ Sphaerarum vero, quae vocatur, harmonia utrum sit necne pro certo dicere non audet [5]). In media mundi parte

[1]) Diog. Laërt. VII. 140. *Ἕνα τὸν κὸσμον εἶναι, καὶ τοῦτον πεπεπαρεσμένον σχῆμα ἔχοντα σφαιροειδές. Πρὸς γὸρ τὴν κίνησιν ἁρμοδιώτατον τὸ τοιοῦτον.* — [2]) Cic. de nat. deor. II., §. 46. Epicurei dixerunt, mundi et aliam esse posse figuram, quam rotundam: innumerabilesque mundos alios esse aliarum formarum: de nat. deor. II., §. 48. — [3]) Zeller l. l. III., 107 aliisque locis. — [4]) Plin. II., §. 6. — [5]) Ibid.: An sit inmensus et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine adsidua sonitus non equidem facile dixerim, non Hercule magis quam circumactorum simul tinnitus siderum suosque volventium orbis an dulcis quidam et incredibili suavitate concentus. Nobis, qui intus agimus, juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.

cum stoicis ac plerisque viris doctis illius temporis consentiens terram esse docuit. Quod his verbis comprobare studet: „Mediam esse terram mundi totius haut dubiis constat argumentis, sed clarissime aequinocti paribus horis, nam nisi in medio esset, aequales dies noctesque haberi non possent. Deprehendere et dioptrae, quae vel maxume id confirmant, cum aequinoctiali tempore ex eadem linia ortus occasusque cernatur, solstitiali exortus per suam liniam, brumali occasus. Quae accidere nullo modo possent, nisi in centro sita esset[1]). Tum ut terram globosa esse forma commonstret, multa affert argumenta, quae omnia commemorare non meum est. Illud autem silentio praetermitti non potest, quod hac de re ad consensum gentium provocat, quod Stoicos sapere jam supra monui. Dicit enim: „Est autem figura prima de qua consensus judicat. Orbem certe dicimus terrae globumque verticibus includi fatemur[2]).“ De ratione, qua factum sit, ut hanc formam acciperet, non ineptam conjecturam profert. „Mundus, inquit, in centrum vergit, at terra exit a centro, inmensum ejus globum in formam orbis adsidua circa eam mundi volubilitate cogente[3]).“ Terra vero „in toto suo globo praecincta circumfluo mari, nec argumentis hoc investigandum, sed jam experimentis cognitum[4]).“ Ac de hac quoque re cum Stoicis consensit[5]). Aquae nimirum cum terra in unam eandemque globi superficiem coeunt[6]). Qua de re ita disputat: „Reliquorum, quae miramur causa in ipsius terrae figura est, quam globo similem et cum ea aquas iisdem intellegitur argumentis[7]).“ Quod ut comprobet, in sequentibus paragraphis multa affert de caelo, de sideribus, de solis lunaeque defectibus. Sed cum haec non de aquarum curvatura sola, sed omnimo de terra dicta sint, alium locum afferre juvabit, quo de aquis tantum agitur. Ac

[1]) Plin. II., §. 176. — [2]) II., §. 160. — [3]) Ibid. — [4]) Plin. II., §. 166. — [5]) Cic. de nat. deor. II., §. 116. — [6]) Quod praeter alios Stoicis quoque probatum fuisse, docet Cleomedes doctr. de sublim. c. VIII. — [7]) II., §. 177.

verba quidem Plinii haec sunt: „Sed volgo maxuma haec pugna est, si coactum in verticem aquarum quoque figuram credere cogatur. Atqui non aliud in rerum natura adspectu manifestius, namque et dependentes ubique guttae parvis globantur orbibus et pulveri inlatae frondiumque lanugini impositae absoluta rotunditate cernuntur et in poculis repletis media maxume tument, quae propter subtilitatem umoris mollitiamque in se residentem ratione facilius quam visu deprehenduntur, idque etiam magis mirum, in poculis repletis addito umore minumo circumfluere, quod supersit, contra evenire ponderibus additis ad vicenos saepe denarios, scilicet, quia intus recepta liquorem in verticem attollant, at cumulo eminenti infusa dilabantur[1]).“ Longum est totum locum exscribere, sufficit ad Plinium ipsum hac de re satis scite usque ad §. 167 disserentem ablegare.

Circa terram aëris sphaeram diffusam esse stoici Aristotelem sequentes docuerunt[2]). Aërem autem sphaeram propter terrae formam rotundam habeamus necesse est[3]), quod concinit cum Aristotelia doctrina[4]) propter τὴν συνέχειαν aërem pro sphaera accipiendum esse. Totus denique mundos quasi vinculo quodam, ut Cicero ait[5]), circumdatur aethere illo divino, qui per „omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur et ad medium rapit et convertit extrema.“ Non aliter Plinius statuere videtur, si quidem haecce ejus verba spectamus: „Nec de elementis video dubitari quattuor esse ea. Ignium summum, inde tot stellarum illos conlucentium oculos, proxumum spiritus, quem Graeci nostrique eodem vocabulo aëra appellant vitalem hunc et per cuncta rerum meabilem totaque consertum. Hujus vi suspensam cum quarto aquarum elemento librari medio spati tellurem[6]).“ Ignium elementum nimirum aethera Stoicorum esse apparet. In eo „inter terram

[1]) Plin. II., 163. — [2]) Cleomedes c. VIII. (ad. fin.). — [3]) Cleomed. ibid. — [4]) Aristot. de caelo II., 4 fin. — [5]) Cic. de nat. deor. II., §. 116. — [6]) Plin. II., §. 10.

caelumque certis discreta spatiis septem sidera pendent, quae ab incessu errantia vocamus, cum errent nulla minus illis [1]." Aëris autem sedes infra lunam est vel aliquanto inferior [2]). Atque haec quidem omnia de quibus hucusque disputavimus satis vulgaria sunt, neque quidquam in iis est, quod ab opinionibus illa aetate vulgatis recedat. Sed vehementer offendant necesse est, quae de caelo scriptor noster excogitavit, nam aliunde cum ineptias istas hausisse vix poterit putari. Placet vero Plinii ipsius verba citare: „Esse innumeras ei effigies animalium rerumque cunctarum inpressas, nec, ut in volucrum notamus ovis, laevitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dicere, rerum argumentis indicatur, quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus innumerae, in mari praecipue, ac plerumque confusis monstrificae gignantur effigies, praeterea visus probatione, alibi ursi, tauri alibi, alibi litterae figura, candidiore medio per verticem circulo. Equidem et consensu gentium moveor. Nam quem *κόσμον* Graeci nomine ornamenti eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum, caelum quidem haut dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adjuvat rerum ordo descripto circulo qui signifer vocatur in duodecim animalium effigies et per illas solis cursus congruens tot saeculis ratio [3])." Caelum igitur, ut mihi quidem videtur, quasi aheneam sphaeram sibi finxit non laevitate continua lubricum qualia volucrum ova, sed in qua, innumerabiles animalium rerumque cunctarum effigies quasi emblemata caelata sint. Eandem mirificam opinionem aliis quoque locis [4]) profert; quare de Plinii vera sententia non erit dubitandum. Cujus rei ullum auctorem secutum esse, non puto, cum longe probabilius videatur Plinium ipsum ingeniosam istam doctrinam excogitasse. Sed haec mittamus atque nos accingamus ad disputationem de errantibus sideribus.

[1]) Plin. II., §. 12. — [2]) Plin. II., §. 102. — [3]) Plin. II., §. 7—10. — [4]) Plin. IX., §. 2. Eadem sententia latere videtur in verbis (II., §. 30) „Ceterum aeterna caelestibus est natura intexentibus mundum intextuque concretis etc.

Quibus non solum certos et definitos meatus [1]), sed aeternam etiam naturam [2]) tribuit. Quae in re cum plerisque veteribus philosophis, stoicis potissimum, concinere, non est quod longe exponam. Sufficit Ciceronem laudare de nat. deor. II, §. 42 ita disputantem.··· „Cum in aethere astra gignantur, consentaneum est, in iis sensum inesse et intelligentiam: ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda." Quod ad cursum errantium pertinet, jam supra nonnulla notavimus: copiosius hanc rem tractare cum meum non esse videatur, ablego ad §. 32 seq. ubi satis scite scriptor rem explanavit. Stellas nimirum caelo adfixas, cum una cum caelo moveantur, quotidianam habere conversionem per se apparet. Quamquam igitur certum siderum ordinem certasque conversionum leges esse Plinio persuasum est, tamen nullo modo Pythagoreorum de sphaerarum harmonia doctrinam probavit [3]).

Inter sidera vero Plinius tribus summum quasi locum tribuere videtur Soli, Lunae, Veneri. Solem enim cum Cleanthe mundi *ἡγεμονικόν* habet [4]). Ejus conversione annua quatuor temporum mutationes efficiuntur. Sol „lucem rebus ministrat aufertque tenebras, hic reliqua occultat, inlustrat, hic vicis temporum annumque semper renascentem ex usu naturae temperat, hic caeli tristitiam discutit atque etiam humani nubila animi serenat, hic suum lumen ceteris quoque sideribus fenerat, praeclarus eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi litterarum Homero placuisse in uno eo video [5])." Inter lunam vero et solem talem rationem intercedere credit, ut sol masculum sidus sit, „omnia torrens sorbensque" (II, §. 222), luna autem „femineum ac molle sidus, quod humorem nocturnum solvat et trahat, non auferat [6]). Quamquam hanc doctrinam, quam Chal-

[1]) Plin. II, §. 12: „cum nulla errent minus". — [2]) Cfr. locum sub n. 4. p. 24 citatum. — [3]) Cfr. Plin. II, §. 6; II, §. 84. — [4]) Cfr. quae supra hac de re citavi. — [5]) Plin. lib. II, §. 13. — [6]) Cfr. Plin. II, §. 223.

daeos aliquomodo sapere appareat, non plane probat, tamen non rejicit. Tales enim de sideribus opiniones multis apud veteres probatae erant, velut stoicis, qui lunae praecipue magnam vim tribuerunt. Ea enim, si Balbum apud Ciceronem (de nat. deor. II, §. 119) sequimur, graviditates affert et partus maturitatesque gignendi [1]. „Inde vera conjectatio existit haut frustra spiritus sidus lunam existumari·hoc esse quod terras saturet, accedensque corpora impleat, abscedens inaniat· ideo cum incremento ejus augeri conchylia et maxume spiritum sentire quibus sanguis non sit, sed et sanguinem hominum etiam cum lumine ejus augeri ac minui, frondis quoque ac pabula··· sentire, in omnia eadem penetrante vi [2].“ Ac summa vis plenilunio est. Plenilunio enim maria purgantur [3], plenilunio mel uberius capitur [4], plenilunio vespae maxime crescunt [5]. Omnia autem, quae caeduntur, carpuntur, conduntur innocentius decrescente, quam crescente fiunt [6]. Quos locos omnes attuli, ut quid scriptor hac de re senserit, eo melius appareat. Mihi quidem non dubium esse videtur, quin omnibus illis de lunae vi probatis opinionibus fidem habuerit. Tertium denique eorum siderum, in quibus eximiam quandam vim inesse putavit, Venerem jam ipso cognomine solis ac lunae aemuli quanti faciat ostendit. Quippe „praeveniens et ante matutinum exoriens luciferi nomen accipit ut sol alter diemque maturans, contra ab occasu refulgens nuncupatur vesper ut proragans lucem vicemque lunae reddens [7].“ „Jam magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantae, ut unius hujus stellae radiis umbrae reddantur· itaque et in magno nominum ambitu est·alii enim Junonis, alii

[1]) Idem fere profert Macrobius (in Somn. Script. I, 19): „Nec dubium est, quin ipsa (Luna) sit mortalium corporum et auctrix et conditrix adeo ut nonnulla corpora sub luminis ejus accessu patiantur augmenta et hac decrescente minuantur.“ — [2]) Plin. II, §. 221. — [3]) Plin. II, §. 220. — [4]) Plin. IX, §. 38. — [5]) Plin. XI, §. 71. — [6]) XVIII, 321 et ibi permulta hac de re. — [7]) Plin. II, §. 36.

Isidis, alii Matris Deum appellavere. Hujus natura cuncta generantur in terris · namque in alterutro exortu genitali rore conspergens non terrae modo conceptus inplet, verum animantium quoque omnium stimulat [1].“ Itaque ortum omnium animantium omniumque plantarum ex Plinii sententia talem esse accipiendum est, ut semina de caelo, cui effigies omnium rerum impressae sint, decidant, luna vero et Venus altera humifico spiritu, altera genitali rore permultum valeant, ut semina illa de caelo decidua magis in dies crescant augeanturque. Quae mirifica generatio quomodo concinat cum vulgo observata, nobis quoque probata, quam Plinius quoque in libris, in quibus de plantis et animalibus exponit, prorsus agnoscit, non video. Habemus igitur iterum sententiarum discrepantiam! Quo factum sit, ut tam ineptas opiniones sibi fingeret, haud ita facile explicari poterit. Fortasse stellarum signa effecerunt, ut omnium rerum effigies caelo impressas esse putaret. Tum ad opinionem de semininibus de caelo deciduis probandam stoicorum fortasse doctrina, in summa mundi parte i. e. in caelo aethera existere, divinum illum ignem omnia generantem augentemque, deductus est. Fieri quoque potest, ut Chaldaeorum quaedam commenta ex libris in indice notatis Nechepsi, Petosiris, Epigenis, Thrasylli hausta vel ex consuetudine talium virorum percepta, ut in illas ineptias aberraret, effecerint. Sed haec mittamus!

Cum vero in tribus illis errantibus sideribus singularem quandam vim poneret, cetera quoque una cum stellis caelo adfixis hujus vis non plane expertia esse docuit. „Ut solis ergo, inquit, natura temperando intellegitur anno, sic reliquorum quoque siderum propria est quibusque vis et ad suam cuique naturam fertilis·alia sunt in liquorem soluti umoris fecunda, alia concreti in pruinas aut coacti in nivis aut glaciati in grandines, alia flatus, alia teporis, alia vaporis, alia roris, alia rigoris. — ····Igitur in suo quaeque motu naturam suam exercent, quod

[1]) Plin. II, §. 37.

manifestum Saturni maxume transitus imbribus faciunt. Nec meantium modo siderum haec vis est, sed multorum etiam adhaerentium caelo, quotiens errantium accessu inpulsa aut conjectu radiorum exstimulata sunt, qualiter in suculis sentimus accidere, quas Graeci ob id pluvio nomine appellant · quin et sua sponte quaedam statisque temporibus, ut haedorum exortus arcturi vero sidus non ferme sine procellosa grandine emergit [1]). Talia de stellarum vi testimonia per omnes libros dispersa sunt, pleraque tamen in iis, in quibus de re rustica agit [2]). Sed quamquam scriptor noster vulgarem illam de siderum vi opinionem non pro falsa accipit, plane tamen spernendum esse contendit, quod a Chaldaeis Romam translatum illa aetate plerisque probatum erat, nempe inter stellas fixas et homines rationem quandam intercedere. Qua de re ita disputat: „Sidera, quae adfixa diximus mundo, non illa, ut existumat volgus, singulis attributa nobis, et clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis, ac pro sorte cujusque lucentia adnumerata mortalibus, nec cum suo quaeque homine orta moriuntur, nec aliquem exstingui decidua significant. Non tanta caelo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ibi quoque siderum fulgor [3]).“ Quam late patuerit haec superstitio non ex Plinii tantum testimoniis scimus, sed omnium fere illius aetatis scriptorum, qua de re in introductione satis dictum est. Sed quo factum sit, ut illam superstitionem contemneret, inde certe intelligitur, quod stellis a e t e r n a m n a t u r a m tribuit [4]). Nunquam igitur stellae exstinguuntur, minime una cum hominis vita cum qua nullo vinculo conjunctae sunt. — Stoicorum deinceps vestigia secutus stellas omnes aquarum vaporibus pasci docet. Lunae quidem alimentum in dulcibus aquis esse, sicut in marinis solis [5]), sidera vero haud dubie terreno humore pasci [6]). Quam doctrinam de solis lunae stellarumque pastu

---

[1]) Plin. II, 105 et 106. — [2]) In libris XVII, XVIII, XIX. — [3]) Plin. II, §. 28. — [4]) Plin. II, §. 30. — [5]) Plin. II, §. 223. — [6]) Plin. II, 46.

vulgo Stoici [1]) ab Heraclito desumpsisse putantur. Sed cum Heraclitus omnino stellas aquarum vaporibus ali tradiderit, Stoicos accuratius hanc doctrinam tractasse atque magis excoluisse multi inter recentiores suspicantur. Inter eos Urlichsuis quoque versatur, qui in adnotatione ad Chrest. Plin. (p. 15) eandem sententiam profert. Mihi tamen persuasum est, Heraclito talia ne in mentem quidem venisse. Etenim solem tantum humore ali contendit, de ratione autem, qua cetera sidera alantur disputare plane supersedit, cum iis perparvam vim tribueret [2]). —

Quoniam igitur aquarum vaporibus sidera aluntur, facile fieri potest, ut longe major vaporum copia, quam qua egeant illa, ascendant. Quod si factum est, tum idem evenit, „quod luminibus accensis liquore olei notamus accidere [3]).“ Guttae enim abundantes decidunt, quas nos nostra quidem lingua „Sternschnuppen“ nominare solemus. — Sed de rebus caelestibus satis dictum videtur. Cetera enim hujus generis afferre mea quidem sententia non ejus est, qui in universum de philosophumenis disputat.

DE PROVIDENTIA.

Sequitur nunc ut de providentia quid Plinius senserit, exponam, qua in re ad Stoicos maxime eum se applicasse demonstrabimus. Cum eorum enim doctrina, omnia in mundo certis quibusdam legibus, cui nihil, ne deus ipse quidem, repugnare possit, temperari ac regi, plane consentit. Quare omnia, quae in natura apparent, gignuntur, crescunt, exstin-

---

[1]) D. stoicis satis est ablegare ad Cic. de nat. deor. III, cap. XIV. §. 37, II, cap. XV. §. 40. Stob. ecl. phys. I, 532. 540. — [2]) Cfr. Zeller de Graec. phil. I, p. 475 ed. 2; Plut. de fortuna c. 3: *ἡλίου μὴ ὄντος ἕνεκα τῶν ἄλλων ἄστρων εὐφρόνην ἂν ἤγομεν.* — [3]) Plin. II, §. 29.

guuntur ex lege quadam naturali esse apta atque orta confirmare studet. Quod si minus ei contigit non legem non extare credit, sed nondum ab hominibus indagatam esse. Ita, ut exemplum afferam, ubi de ventis „statis et perspirantibus“ agit, „quos non tractus verum terrae sentiunt“ haec dicit: „Palam est et illos quoque legem habere non ignotam etiamsi nondum cognitam [1]). Tum de ventis non ultra certum tractum procedentibus ita disputat: „Quo fit manifestius lex naturae ventis etiam et tempore et fine dicto [2]).“ Quae ratio vero ex ejus sententia intercedat inter naturae legem et deum ex his verbis luce clarius intelligitur: „Inperfectae vero in homine naturae praecipua solatia, ne deum quidem posse omnia; — namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit quod homini dedit optumum in tantis vitae poenis, nec mortalis aeternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere, ut qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit — nullumque habere in praeterita jus praeterquam oblivionis, atque (ut facetis quoque argumentis societas haec cum deo copuletur) ut his dena viginti non sint aut multa similiter efficere non posse, per quae declaratur haut dubie naturae potentia, idque esse quod deum vocemus [3]).“ Quae verba prorsus stoicos sapere, quis est, qui neget? Naturae legibus, naturae potentiae deus pareat necesse est, immo etiam naturae lex, naturae potentia ipse deus est. Providentiam igitur Plinius cum stoicis non actionum liberarum sapientissimam directionem habet, sed universi constantem et necessarium et imperturbatum ordinem rerum. Magni autem est momenti, quod Plinius, deum ipsum legi, quae ei inhaereat, obtemperare oportere docet, cum inde hominem quoque naturali necessitati totum mundum amplectenti patienter obsequi debere, sequatur. Qua in re stoicos sequeretur oportuit, quippe qui ab eodem principio ac Plinius profecti docerent, boni viri esse praebere se fato [4]). Vita autem

---

[1]) Plin. II, §. 116. — [2]) Plin. II, §. 121. — [3]) Plin. II, §. 27. — [4]) Senec. de provid. c. 5.

si nondum vitalis esset, tum ad id refugiendum esse scriptor noster credidit, quo deus ipse careret, ad mortem voluntariam. Quam sententiam apud veteres omnino, non apud philosophos tantum late patuisse, cui non est auditum? Quis non meminit virorum eorum, qui tali calamitate accepta, ut jacturam dignitatis facerent, sibi mortem ipsi consciscerent? Nemini vero ignotum sit, stoicos inprimis in vitae miseria non modo non licere, sed et sapientis esse aliquando officium e vita excedere docuisse ac praecepisse [1]). Quo factum sit, ut Romanis haec sententia valde probaretur, exponere non mei est propositi. Sed cur Plinii aetate mundum fato regi, cui homines patienter se praebere deberent, plerique homines docti et indocti statuerint [2]) haud inutile erit paucis verbis explicare. Cum enim depravationem illius aetatis hominum viderent, quibus nulla fides, nulla probitas erat, sed pessimae libidines turpissimaque scelera, facile in cogitationem deferri potuerunt, non deorum consilio, sed caeco fato omnia regi. Quod ut probarent, illud quoque effecit, quod honestissimum quemque ignominia et poenis cujusvis generis afflictum, scelestos vero et potentia et honoribus fruentes animadverterunt. Quare minime offendit, quod Tacitus vir tanto animi candore non modo non deum mundum temperare statuit, sed etiam dubitavit, num res mortalium fato et necessitate immutabili an forte volverentur [3]). —

Sed cum naturalis illa lex, sive vis divina, cui inhaeret, secundum stoicorum doctrinam omnia prudenter temperet (πῦρ νοερόν) totum mundum esse bonum ac perfectum commonstrare studebant. Qua ratione eo perducti sunt, ut ejus doctrinae, quam nos theodiceam dicere solemus, auctores fierent. Mundum quidem perfectum esse ex aequabilitate mo-

---

[1]) Zeller p. 185 seq. tom. III. — [2]) Bernhardy hist. litt. Rom. p. 271 ed. III. — [3]) Tacit. Ann. VI, 21. Sed haec mihi ac talia audienti in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate immortali a forte volvantur. Cfr. Bernhardy p. 632 ed. III.

tuum conversionumque siderum, ex magnitudine commodorum quae percipiuntur caeli temperatione, fecunditate aliarumque commoditatum complurium copia intelligi arbitrabantur. Tum quod attinet ad rationem quae inter singulas res intercedit, unam rem alterius causa creatam esse docuerunt: „ut clypei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum cetera omnia aliorum causa esse generata [1]." Itaque si stoici rei alicujus utilitatem ostendere voluerunt, eam hominibus utilem esse demonstrabant [2]). Eandem rationem Plinius sequitur quippe qui semper diffusae per mundum divinae vis actionem hominibus commoda tribuentem indagare studeat. Nam cum totum mundum numen habeat, quod perfectum sit oportet, mundi quoque partes perfectas esse sequitur. Quod vere sibi probatum esse Plinius his verbis pronuntiat: „Naturae quidem opera absoluta atque perfecta gignuntur [3])." Exemplorum autem illius rationis, qua jam stoici utebantur, ingentem copiam ex Plinii libris afferre licet, quorum ne a proposito nimis aberrem illustria quaedam tantum afferam. Sapientissime igitur ex ejus sententia natura instituit, quod oleum vulgi usui tam utilissimum non diu conservari potest. „Vetustas, inquit, oleo taedium adfert non item ut vino, plurumumque aetatis annuo est, provida, si libeat, intellegere natura, quippe temulentiae nascentibus vinis uti necesse non est, quin immo invitat ad servandum blandi inveterati caries, oleo noluit parci fecitque ea necessitate promiscuum et volgo [4])." Cum tali vero ratione natura hominum commodo consulat, benignitatem laudabilem praestat. Quam benignitatem alio loco ita praedicat: (Folia fraxini) „contra serpentes vero suco expresso ad potum et inposita ulceri opifera ac nihil aeque reperiuntur· — ··· mira naturae benignitas prius quam hae prodeant florere fraxinum nec ante conditas folia dimittere [1])." Vim porro medicam plantarum ingens occultumque divinitatis opus esse et quo nullum reperiri possit majus arbritratur [2]). Copiosius eadem de re libro XXII, §. 15 seq. disserit, quem locum, quamquam longiorem integrum describam, cum omnino inde facile, quae Plinii cogitandi ratio fuerit, intelligi possit. Ac sunt quidem Plinii verba haecce: „Sed quis non mores castiget? addidere vivendi pretia deliciae luxusque· numquam fuit vitae cupido major nec minor cura·aliorum hanc operae esse credimus, de mandato quidem nostro alios id agere, medicisque provisum esse pro nobis·ipsi fruimur voluptatibus et, quo nihil equidem probrosius duco, vivimus aliena fiducia·immo vero plerisque ultro etiam inrisui sumus ista commentantes atque frivoli operis arguimur, magno quamquam inmensi laboris solatio sperni cum rerum natura, quam certe non defuisse nobis docebimus et invisis quoque herbis inseruisse remedia, quippe cum medicinas dederit etiam aculeatis · haec enim proxume restant ex iis, quas priore libro nominavimus, in quibus ipsis providentiam naturae satis mirari amplectique non est·dederat quas diximus mollis cibisque gratas, pinxerat remedia in floribus visuque ipso animos invitaverat etiam deliciis auxilia permiscens·excogitavit aliquas adspectu hispidas, tactu trucis, ut tantum non vocem ipsius fingentis illas rationemque reddentis exaudire videamur, ne se depascat avida quadripes, ne procaces manus rapiant, ne neglecta vestigia opterant, ne insidens ales infringat, his muniendo aculeis telisque armando, remediis ut tuta ac salva sint·ita hoc quoque quod in iis odimus hominum causa excogitatum est." Cujus generis exempla satis sunt multa, sed ea, quae citavimus, sufficere videntur [3]).

Quamquam igitur Plinius omnia naturae opera perfecta habet, tamen in mundo varia mala extare negare non potest. Qua in re a Stoicis non plane discedit, qui mala quidem non-

[1]) Cic. de nat. deor. II, §. 37. — [2]) Exempla satis multa apud Ciceronem in libris de nat. deor. veluti II, §. 154, II, §. 163 aliisque locis. — [3]) Plin. XXII, §. 117. — [4]) Plin. XV, 7.

[1]) Plin. XVI, 64. — [2]) XVII, §. 247. — [3]) Praeterea cfr. Plin. XVIII, 250; XXI initio XVIII, 281 XVIII, 265, XI, 147 XI, 154.

nulla in mundo esse concesserunt, sed haec ipsa toti mundo non modo utilia sed etiam necessaria esse contenderunt. Quod cum confirmare studerent in spinosas et fere ineptas disputationes deferebantur veluti cimices a natura esse creatos, ut homines somno excitarent, et mures, ne negligenter res ab hominibus deponerentur [1]). Eadem quidem disputandi ratione non utitur sed valde simili, quae saepius non minus risum moveat. Cujus rei illustre quoddam exemplum est ejus defensio naturae saepius mel venenatum gignentis: „Quid, inquit, sibi voluisse naturam iis arbitremur insidiis, ut ab iisdem apibus nec omnibus annis fierent, aut non totis favis? parum etiam erat genuisse rem in qua venenum facillime daretur; etiamne hoc ipsa in melle tot animalibus dedit? quid sibi voluit nisi ut cautiorem minusque avidum faceret hominem [2]).“ Haud ita quidem ineptum videtur, quod de consilio dicit, quo natura venena omnino creaverit. Verba ejus haec sunt: „Quin et venena nostri miseritam instituisse credi potest, ne in taedio vitae fames, mors terrae meritis alienissima lenta consumeret tabe, ne lacerum corpus abrupta dispergerent, ne laquei tortaquerct poena praepostera incluso spiritu cui quaereretur exitus, ne in profundo quaesita morte sepultura pabulo fieret, ne ferri cruciatus scinderet corpus. Ita est, miserita genuit id cujus facillimo haustu inlibato corpore et cum toto sanguine exstingueremur nullo labore, sitientibus similes, qualiter defunctos non volucris non fera attingeret, terraeque servaretur, qui sibi ipsi perisset. Verum fateamur terra nobis malorum remedium genuit, nos illud vitae fecimus venenum. Non et ferro, quo carere non possumus, similio modo utimur? [3])“ Naturae igitur consilia semper bona sunt, homines autem rebus, quae natura gignit, male utuntur.

---

[1]) Plut. stoic. rep. XXI: ἐν μὲν οὖν τῷ πέμπτῳ, περὶ φύσεως εἰπὼν ὅτι αἱ κόρεις ἐνχρήστως ἐξυπνίζουσι ἡμᾶς, καὶ οἱ μῦες ἐπιστρέφουσι μὴ ἀμελῶς ἕκαστα τιθέναι. — [2]) Plin. XXI, §. 78. — [3]) Plin. II, §. 156.

Sed haec naturae defensio Plinio ipsi non ab omni parte sufficere videtur, cum contra mala a natura creata hanc ipsam remedia commonstrasse dicat. „Nunc vero, inquit, deorum fuisse eam (scl. herbarum salubrium inventionem) aut certe divinam, etiam cum homo inveniret, eandemque omnium parentem et genuisse haec et ostendisse, nullo vitae miraculo majore si verum fateri volumus [1]).“ Tum verbis sequentibus naturam laudat, quippe quae hominibus, qui per se numquam talia remedia invenissent, ultro ostendisset [2]). Quibus argumentis alia quoque adjicit. Contra mala naturam remedia creasse [3]). Naturae majestatem eo cerni, quod plura bona genuerit, quam mala [4]). Quibus rationibus allatis eum, quamvis alioquin acrem naturae patronum se praestiterit, arma ut Horatianum illud adhibeam, perdidisse locumque deseruisse apparet. Quo facto non offendet, quod mala in mundo extare non modo non concedit, sed vehementer etiam de iis conqueritur. De multis quidem locis dubitari licet, num vere ita judicaverit, cum oratio ejus declamatoria, si hoc vocabulo uti licet, flosculisque nimis ornata eum saepius eo deducat, ut res nimis atris coloribus depingat. Quod fecisse videtur in hominum condicione describenda (initio libri VII.) Nihil omnino miserius aut superbius homine esse [5]). Sed mirum videri debet, quod ea quoque in vituperationem ejus incidunt, quibus maxime deus nos a bestiis destinxit, nempe sciendi studium atque bonarum laudabiliumque rerum cupido. Unde ei omnia mala orta esse videntur „ceteris quippe animantium sola victus cura est, in quo sponte naturae benignitas sufficit, uno quidem vel praeferenda cunctis bonis, quod de gloria, de pecunia, ambitione superque de morte non cogitant [6]). Juvat quoque ad eas querimonias ablegare, quae libro VII, §. 43 de frivola

---

[1]) Plin. XXVII, §. 2. — [2]) Plin. §. 7 ibid.: Quae si quis ullo forte ab homine excogitari potuisse credit, ingrate deorum munera intellegit. — [3]) Plin. VIII, 79: Huic tali monstro (sc. basilisco) mustelarum vinus exitio est. adeo naturae nihil placuit esse sine pare. — [4]) XVIII, §. 5. — [5]) Plin. II, §. 25. — [6]) ibid.

origine animalium superbissimi i. e. hominis profert[1]. Sed noli credere Plinio hominum tantum condicionem tam miseram visam esse, arbores quoque quod morbis afficiuntur vehementer deplorat[2]. Jam vero ex omnibus, quae adhuc disputavimus, intelligitur, Plinium de naturae operibus sibi ipsum magnopere obloqui, cum primum naturae opera perfecta esse contenderet; quam sententiam artioribus quibusdam finibus ita circumscripsit, ut naturae majestatem eo cerni diceret, quod plura bona quam mala genuisset. Sed ne in hac quidem sententia permansit, sed eo delatus est, ut num rerum natura largius mala an bona genuisset, dubitaret[3]. Itaque si omnes, quibus de providentia agitur, locos integro consideramus judicio, Plinium in universum sententiam quandam probare intelligitur, quae ad stoicorum doctrinam proxime accedat, nempe vim quandam rationalem extare in mundo omnia bene et prudenter temperantem. Sed cum philosophus, ut ita dicam, perfectus minime sit, adspectu malorum, quae in mundo atque in hominum potissimum condicione appareant, a sua sententia nonnunquam declinatur. Ceterum semper meminerimus oportet, Plinium virum fuisse tristis ingenii[4], cui res etiam minime miserabiles valde deplorandae viderentur. Qua ingenii tristitia profligatus eo etiam aberravit, ut uno loco de providentia omnino dubitaret. „Agere, inquit, curam rerum humanarum illud quidquid est summum, anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus? Dubitemusne? Vix prope est judicare, utrum magis conducat generi humano, quando aliis nullus est deorum respectus, aliis pudendus[5].“ Si quis fortasse con-

---

1) Plin. II, 170, VII, 130 seq. quibus locis similia extant. — 2) Plin. XVII, 216: Infestantur namque et arbores morbis — quid enim genitum caret his malis? -- 3) Plin. XVIII, §. 5. — 4) Cfr. Bernhardy hist. litt. Rom.: — nicht weniger fesselt er durch einen schwermüthigen Grundton, der ebenso sehr in empfindsamer Kritik des römischen Lebens, seiner Eitelkeiten und Unruhe, als in ungemessener Bewunderung der Natur sich äussert. — Ed. III, 732 et 733. — 5) Plin. II, §. 20. Ita Urlichsius (Chrest. Plin. p. 10) locum edidit, cujus interpretatio quoque (cfr. not. ad verb. agere etc.) mihi probata est.

tendit, Plinii animo hoc loco non communem illam providentiam sive legem divinam totum mundum complectentem obversatam fuisse, sed vulgo creditam singulas singulorum hominum res pro libidine temperantem, obloqui nolo. Quam providentiam stoici quoque negaverunt, cum non pro libidine sed pro necessitate aeterna vim divinam agere neque parvas res curare docerent[1].

DE DIVINATIONE.

Quanta auctoritate apud Romanos divinatio fuerit, quam vim in omnibus et publicis et privatis rebus habuerit, exponere non mei est propositi. Nec minus supervacaneum sit, multis verbis demonstrare, quanti momenti sit experiri quae Plinii sententia de divinatione fuerit. Itaque ad rem nos accingamus. Ac divinationis duo genera sunt, alterum artificiosum alterum naturale. Naturalis vero generis somnia potissimum sunt et oracula, de quibus primum disputaturus sum.

De praescitis, ut Plinianum verbum adhibeam, quae in somno eveniunt, i. e. in animi in sese recessu[2] non certam sententiam scriptor noster habuisse videtur, cum dubia quadam ratione de iis agat. „Magnus, inquit, hic invitat locus et diversis refertus documentis, utrumne sint aliqua praescita animi quiescentis, qua fiant ratione, an fortuita res sit ut pleraque. Si exemplis agatur profecto paria fiant[3].“ Somnia autem quae a viro et a cibis proxima et in redormitatione eveniunt, prorsus vana habet[4]. Aliter res se habet de somnio quodam, quod libro XXV, §. 17 tradidit, cui plane fidem habuisse videtur. Res igitur eo redit, ut somniorum praescita non pror-

---

1) Cic. de nat. deor. II, §. 167: magna dii curant. — 2) Plin. X, §. 211. — 3) ibid. -- 4) ibid.

sus negaret, vi tamen eorum aliquo modo diffidat. In Plinium quidem ipsum somnium quoddam magnam vim exercuit. Namque cum in Germania militaret astitit ei quiecenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit, et commendabat memoriam suam et orabat, ut se ab injuria oblivionis assereret[1]). Quo somnio monitus bellorum Germaniae viginti libros conscripsit, quos temporum iniquitate ereptos valde dolemus. Haec fere sunt, quae de fide, quam Plinius somniis habuit, indagare licuit. Ac de oraculis quidem quid senserit, nemo pro certo dicere poterit, quum eorum ita mentionem faciat, ut suam sententiam non pronuntiet. Putandum tamen est, eum sententiam eorum probasse, qui stolidis tantum hanc divinationis rationem relinquendam esse censerent. Quorum numerum Plinii aetate permagnum fuisse colligere licet, cum tunc oraculorum auctoritatem jam satis imminutam fuisse vel potius paene in desuetudinem abiisse omnes scriptores tradant[2]). Haec de divinatione naturali satis sunt. Restat altera quae articificiosa vocatur, cujus si Ciceronem sequimur, haec fere genera sunt. Primum exstipicum eorumque qui ex fulguribus ostentisque praedicebant, alterum augurum eorumque, qui signis aut ominibus utebantur[3]). Quae divinationis genera ad omnes vitae Romanorum partes pertinebant, cum nullum fere negotium neque publicum neque privatum nisi prodigiis observatis ab iis susceptum et ad finem productum sit. Qua in re ingentem deorum reverentiam Romanorum agnoscimus, quippe qui omnia nonnisi diis faventibus et temperantibus agere vellent. Ac Romani fere soli inter antiquos populos disciplinam divinationis etiam in minutissimas partes excoluerunt. Itaque mirari non possumus, quod prodigiis scatent omnes annales, omnia rerum scriptorum, philosophorum poëtarumque scripta, omnes quoque libri Plinii nostri. Sed si quis, quam fidem Plinius iis habuerit scire velit, cum locum quendam libri II.[4])

[1]) Plin. ep. III, 5. — [2]) Schmidt, Geschichte der Denk- und Glaubensfreiheit etc. p. 243. — [3]) Cic. de div. II, 11. — [4]) Plin. II, §. 23 seq.

solum spectet, scriptorem nostrum divinationem prorsus nihili fecisse conjiciat. Hoc enim loco haec dicit: „Pars alia et hanc (scil. Fortunam) pellit astroque suo eventus adsignat nascendi legibus, semelque in omnis futuros umquam deo decretum, in reliquom vero otium datur. Sedere coepit sententia haec pariterque et eruditum volgus et rude in eam cursu vadit. Ecce fulgurum monitus, oraculorum praescita, haruspicum praedicta, atque etiam parva dictu in auguriis sternumenta et offensiones, pedum. Divos Augustus prodidit laevom sibi calceum praepostere inductum quo die seditione militari prope adflictus est. Quae singula inprovidam mortalitatem involvont, solum ut inter ista vel[1]) certum sit nihil esse certi nec quicquam miserius homine aut superbius." Sed permultis aliis locis de prodigiis ita disputat, ut non modo non de auctoritate eorum dubitasse, sed etiam permagnam vim iis tribuisse videatur. Quae vere ita se habere testimoniis multis ex ejus libris repetitis demonstrabo. Initium vero capiam ab iis, quae ab haruspicibus observabantur, quibus fulgurum quoque et ostentorum signa adnumeranda esse satis notum est[2]). De prodigio igitur quodam adverso, quod Caesari evenit, haec narrat: „Caesari dictatori, quo die primum veste purpurea processit atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis (sc. cor.) in extis defuit · unde quaestio magna de devinatione argumentantibus, potuerite sine illo viscere hostia vivere an ad tempus amiserit[3]). Quibus verbis cum nihil adjungat, quo se prodigio illi diffidere prodat, ejus vim non prorsus negare eum voluisse arbitror. Non aliter certe de geminati fellis prodigio judicandum erit, quod Augusto eo die evenit, quo apud Actium vicit. Namque hoc quoque simpliciter narrat neque de eo se dubitare pronuntiat. Quodsi vim quandam prodigiorum agno-

[1]) Sic Janus et Silligius ed. Plinius enim Vel cum gradu positivo haud raro jungit ad intendendam orationem cfr. quae Silligius ad lib. II, §. 25 not. — [2]) Cic. de div. I, 42. Becker, Handb. der röm. Antiq. IV, p. 362. — [3]) Plin. XI, §. 186.

vit, non omnes tamen haruspicum interpretationes probavit. Quod videmus ex loco quodam quo de apibus disserit. „Tunc ostenta, inquit, faciunt privata ac publica, uva dependente in domibus templisque saepe expiata magnis eventibus · sedere in ore infantis tum etiam Platonis, suavitatem illam praedulcis eloqui portendentes · sedere in castris Drusi imperatoris, cum prosperrime pugnatum apud Arbalonem est, haut quaquam perpetua haruspicum conjectura, qui dirum id ostentum existimant semper [1]"

Praeterea vero aliorum prodigiorum, inprimis eorum, quae oblativa vocantur, largam copiam collegit. Ac de iis in vulgarem populi opinionem inclinasse Plinium vel paullulum tantum discrepuisse ab ea demonstrabimus. Exemplum quidem primum affero Croesi filii, qui cum semestris et in crepundiis locutus esset, paterni regni exitium ex Plinii quoque sententia praenuntiasse videbatur [2]). Tum solis defectum prodigiosum dicit, et rebus ex historia repetitis eum magnos eventus portendisse comprobavit. Verba ejus ad hanc rem spectantia haec sunt: „Fiunt prodigiosi et longiores · solis defectus, qualis occiso dictatore Caesare et Antoniano bello totius paene anni pallore continuo [3])." Tum terrae motum semper malum eventum portendere putat, namque urbs Roma „nunquam tremuit, ut non futuri eventus alicujus id praenuntium esset [4])." Ostenta deinceps quae animalia faciunt plane probasse videtur. Ita, ut exemplum afferam, bubonem funebrem et maxime abominatum publicis praecipue auspiciis deserta incolere narrat, nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalem sed gemitu. „Itaque, inquit, in urbibus aut omnino in luce visus dirum ostentum est, privatorum domibus insidentem plurumum scio non fuisse feralem [5]). Ac mures haud spernenda in ostentis etiam publicis animalia habet. Etenim „adrosis Lanuvi clipeis argenteis Marsicum portendere bellum, Carboni imperatori apud Clusium fasciis, quibus in calciatu utebatur exitium [1])." Tum „proxume supremis divi Augusti Fausta quaedam e plebe Ostiae duos maris totidem feminas enixa famem quae consecuta est portendit haut dubie [2])." Atque ne pisces nbidem prodigiis carere credit. Qua de re ita disputat: „Sunt et in hac parte naturae auguria, sunt et piscibus praescita. Siculo bello ambulante in litore Augusto piscis e mari ad pedes ejus exsilivit, quo argumento vates respondere Neptunum patrem adoptante tum sibi Sexto Pompejo — tanta erat navalis rei gloria — sub pedibus Caesaris futuros qui maria tempore illo tenerent [3])."

[1]) Plin. XI, §. 55. — [2]) Plin. XI, §. 270. — [3]) Plin. II, cap. 30, §. 98. — [4]) Plin. II, §. 200. — [5]) Plin. X, §. 34 et 35.

Longe autem aliter de fulgurali doctrina Etruscorum judicavit, quam nimis audacem vel potius vanam esse censuit. Cur hanc sententiam de ea Plinius habuerit, inde mea quidem sententia intelligitur, quod haec doctrina, quamquam jam diu a Romanis recepta, latius tamen imperatorum demum aetate divulgata est [4]). Nam cum circa illud tempus alienae religiones alienaeque ceremoniae permultae, quae tunc vel paullo ante Romam translatae erant, veteribus populi de divinis rebus opinionibus repugnarent eosque paene obscurarent et morum dapravationi faverent, una cum ceteris haec quaque doctrina in ejus contemptum incurrit. Ac copiosius de hac re exposuit libro secundo inde a paragrapho 138. Sed quae in libris Etruscorum invenerit, hoc loco eum retulisse tantum, non ipsum probasse jam inde colligi licet, quod saepius, „ut existumant" aliaque hujus generis adjungit. In fine denique hujus de fulminibus capitis de hoc divinationis genere quid sentiat satis perspicue profitetur. Magna, ait, hujus observationis vanitas tacta Junonis aede Romae deprehensa est Scauro consule, qui mox princeps fuit [5])." Credo igitur, quae libro II, §. 113 de vanis et fatidicis fulminibus profert, non ipsius sententiam esse,

[1]) Plin. VIII, §. 221. — [2]) Plin. VII, §. 33. — [3]) Plin. IX, §. 55. — [4]) Becker Handb. II, p. 365. — [5]) Plin. II, §. 144 et 145.

sed simplicitur ex libris Etruscorum relata[1]. Non aliter judicandum erit de loco quo sicut e flagrante ligno carbonem cum crepitu exspui, ita a sidere caelestem ignem praescita adferentem tradit[2]. Sed cum Plinius a populi superstitione prorsus non ita alienus sit, ut non veri quandam umbram in ea inesse concedat, non offendet, quod alio loco fidem fulminibus et fulgurali doctrinae habendam uniuscujusque judicio relinquat. Idem etiam fulminum cogendorum conatibus contigit. Namque „varia in hoc vitae sententia et pro cujusque animo. Imperare naturae sacra audaces est credere, nec minus hebetis veneficiis abrogare viris, quando in fulgurum quoque interpretatione eo profecit scientia, ut ventura alia finito die praecinat et an peremptura sint fatum aut apertura prius alia fata quae lateant, innumerabilibus in utroque publicis privatisque experimentis. Quamobrem sint ista ut rerum naturae libuit, alias certa, alias dubia, aliis probata, aliis damnanda, nos de cetero quae sunt in his memorabilia non omittemus[3]."

Jam vero juvare videtur de nexu inter portentum et eventum, quem Plinius sibi finxerit, exponere. Quam rem ut indagemus, adjumentum nobis affert prodiigii cujusdam narratio, cujus adhuc mentionem non fecimus. Exstat hic locus libro secundo §. 97, ex quo quae citare volui haec sunt: „Fit et sanguinea specie (sc. caelum) (quo nihil terribilius mortalium timori est) incendium ad terras cadens inde, sicut Olympiadis CVII anno tertio, quum rex Philippus Graeciam quateret. Atque haec ego statis temporibus naturae ut cetera arbitror exsistere, non ut plerique variis de causis, quas ingeniorum acumen excogitat. Quippe ingentium malorum fuere praenuntia, sed ea accidisse non quia haec facta sunt

[1]) Distinguit duo fulminum genera, alterum vanorum, quae conflictu nubium eliduntur, alterum fatidicorum, quae ex alto statisque de causis et ex suis sideribus veniunt. — [2]) Plin. II, §. 82. — [3]) Plin. II, §. 141.

arbitror, verum haec ideo facta quia incasura erant illa." Talem igitur rationem inter ostentum et eventum interesse putat, ut ostentum causa eventus sit. Quam rationem de ceteris quoque prodigiis Plinium probasse verisimile sit, quamquam in re tam incerta iis qui aliter judicant, nemo facile obloqui poterit.

Sequitur aliud divinationis genus, non Romanum, sed ex Asia Romam translatum, Astrologia, quae quamvis in parvo honore initio esset, ita ut turpis superstitionis nomine ex Italia pelleretur (139 a. C. Val. Max. 3, 2), paullatim tamen incrementa cepit atque etiam principibus viris grata facta est. Ac concidente magis in dies Romanorum religione haec superstitio longius grassari coepit, ut jam Ciceronis aetate viri non infimi ordinis fidem ei haberent. Quorum in numero referendus est Tarutius Firmianus Ciceronis familiaris, qui Romam, quum in jugo fuisset luna, natam esse dixit[1]. Deinde Chaldaeorum praeceptis, tresviri illi Pompejus, Crassus, Caesar aurem praebuerunt, quibus saepius Chaldaei non esse morituros nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate praedixerant. Sed fuerunt etiam, qui huic superstitioni repugnarent. Primus inde lauream reportavit Panaetius[2]) tum Cicero[3]), Tacitus[4]), Favorinus[5]). Nihilo minus tamen Astrologia latius divulgabatur et imperatores ipsi, quamvis ejus sectatores persequerentur, Chaldaeorum nugis crediderunt. Namque Augustum, Livium, Tiberium, Caligulam, Agrippinam, Othonem, Vespasianum, Domitianum, Hadrianum astrologiae indulsisse testimoniis permultis confirmatur[6]). Ac paullatim res eo pervenit, ut astrologia prae ceteris omnibus divinandi

[1]) Cic. de div. II, §. 98. — [2]) Cfr. Cic. de div. II, §. 86: Panaetius, qui unus e stoicis astrologorum praedicta rejecit. — [3]) In libris de divinat. copiose hac de re egit. — [4]) Hist. I, 22 (mathematici) genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper et retinebitur. — [5]) Cujus copiosa dissertatio contra Chaldaeos extat apud Gellium XIV, 1. — [6]) Cfr. Becker VI, 102.

generibus floreret et plerisque hominibus cujusvis ordinis consiliorum et negotiorum domina atque temperatrix fieret [1]). Quam magnam ad mores depravandos vim habuerit, non mei est propositi enarrare. — Sed de ratione hujus disciplinae haec mihi notanda videntur. Vim quandam esse ajunt signifero in orbe qui Graece *Ζωδιακός* dicitur, talem, ut ejus orbis una quaeque pars alia alio modo moveat immutetque caelum, perinde ut quaeque stellae in iis finitimisque partibus sint quoque tempore eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocantur errantia. Quum autem in eam ipsam partem orbis venirent, in qua ortus ejus qui nascatur, aut in eam, quae junctum aliquid habeat aut consentiens, ea triangula ibi et quadrata nominant. Etenim cum tempore anni tempestatum atque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu cumque ea vi solis efficiantur, qua videmus, non veri simile solum, sed verum esse perinde utcunque temperatus sit aër, ita pueros orientes animari atque formari ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitae casus cujusque eventus fingi [2]). Stellis omnino omnia, quaecunque in mundo sunt, duci et regi crediderunt non voluntate quidem libera et aliter aliis temporibus, sed aeterna quadam et immutabili legi. Qua lege percepta res futuras praedici posse.

Sed hasce Astrologorum nugas Plinius plane contempsit. Vitae spatium siderali scientia computari posse negat, cum ex astrologorum dissensione ipsa, quam incerta res sit intelligi arbitretur [3]). Doctrinae vero eorum, omnes eodem sidere natos condicione eadem vitae uti eadem fere opponit, quae Cicero in libro secundo de divinatione atque Favorinus apud Gellium, multos eodem tempore natos et natura et fortuna longe diversos esse. Namque „Homerus eadem nocte natos

[1]) Cfr. Juvenal VI, 553 seq. — [2]) Cfr. Cic. de div. II, §. 89, cujus verba hoc loco adhibui. — [3]) Plin. VII, 162: Primum ergo ipsius artis inconstantia declarat, quam incerta res sit.

Hectorem et Polydamanta tradidit, tam diversae sortis viros. C. Mario Cn. Carbone III. coss. a. d. quintum kalend. Junias M. Caelius Rufus et C. Licinius Calvos eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tam dispari eventu·hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo cotidie evenit, pariter domini ac servi gignuntur, reges et inopes [1]).“ Tum fata cujusque hominis cum astro suo conexa esse, omnino negat, ut ex his quidem verbis intelligi videtur: „Pars alia et hanc (sc. Fortunam) pellit astroque suo eventus adsignat nascendi legibus, semelque in omnis futuros unquam deo decretum, in reliquom vero otium datur. Sedere coepit sententia haec, pariterque et eruditum volgus et rude in eam cursu vadit [2]). — Inter astra et homines nullam societatem statuit. Nam „sidera quae adfixa diximus mundo, non illa, ut existumat volgus; singulis attributa nobis, et clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis, ac pro sorte cujusque lucentia adnumerata mortalibus, nec cum suo quaeque homine orta moriuntur nec aliquem exstingui decidua significant. Non tanta caelo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ibi quoque siderum fulgor [3]).“ Stellis quidem errantibus Plinium vim quandam tribuisse ad terram pertinentem jam supra monui, sed in hac re magis ad Stoicorum quam ad Chaldaeorum doctrinam accedit. Sed hoc in capite de rebus caelestibus exposuimus.

DE MAGIA.

Magia quod simul cum religione e conscientia humanae imbecillitatis contra vires mundum complectentes velut ex uno fonte manavit et semper cum ea arte erat conjuncta, factum esse videtur, ut summa apud veteres esset gravitate et

[1]) Plin. VII, §. 165. — [2]) Plin. II, §. 28. — [3]) Plin. II, §. 28 et 29.

auctoritate. Sed cum religione homines viribus illis se subjicerent, magia eas sibi obnoxias reddere tentabant, quibus tam diversis intentionibus omnes veteres populi indulserunt, donec religionibus magis magisque concidentibus magia nimis magnis honoribus floreret. Sed ad nos non attinet multis verbis demonstrare, quo modo magia apud veteres sit exculta neque placet de ejus historia a Plinio libri XXX initio enarrata disputare. Id tantum monere velim, magiam non ex Asia demum in Graeciam et Italiam esse translatam, sed ut illis, sic in his quoque terris una cum religione ortam atque excultam esse. Itaque jam in XII tabulis fruges excantare vetitum est[1]. Tum Catonem ad luxaturas sanandas carminibus quibusdam usum esse constat[2]. Ac talia ad magiam spectantia jam ex antiquissimis temporibus afferre licet[3].

Sed nugis illis magicis a Romanis inventis jam satis mature larga alienarum copia accessit. Ex Perside inprimis, quam Plinius magiae patriam habet[4]) multa hujus generis commenta ad Italos pervenerunt[5]. Permulta fortasse Romani ab Alexandrinis acceperunt, quum ibi magiam floruisse certis argumentis confirmetur. Alexandriae enim libri illi ad magiam pertinentes componebantur, qui Orphei nomine per longum temporis spatium homines deceperunt. Et eadem in urbe librum illum Pseudo-Pythagoreum de effectu plantarum ortum esse

---

1) Quid? non et legum ipsarum in XII tabulis verba sunt: qui fruges excantassit et alibi: qui malum carmen incantassit. Plin. XXVIII, §. 17. Praeterea cfr. XXX, §. 11 et 12. — 2) Luxum si quod est hac cantione sanum fiet: harundinem prende — — mediam diffinde, ut duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare: In alio S. F. (h. e. sanitas fracto) motas vaeta daries dardaries astartaties dissupunapiter, usque dum coeant, vel huat hanat huat ista pista sista domiabo damnaustra etc. Cfr. de re rustic. CLXI, Stahr Aristoteles bei den Römern, p. 8 not. 5. — 3) Cfr. L. Georgii et Guil. Reinii dissert. de magia in Pauly Realencyklopädie. — 4) Plin. XXX, §. 3. Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, ut inter auctores convenit. — 5) Cfr. quae Plinius de Persarum magia disputat XXX, §. 3 — §. 11. Persicae magiae jam in XII tabulis vestigia extiterunt XXX, §. 12.

haud immerito Meierus conjecisse videtur. Alexandriae denique Bolus Mendosius libros illos, qui diu Democriti nomine ferebantur atque a Plinio Democritei habebantur, (χειρόκμητα, de vi et natura plantarum, de antipathiis) conscripsit[1].

Cum deinde inter Romanos et populos orientales artior conjunctio et societas fieret, tanta magicorum commentorum copia in Italiam invasit, ut magistratus edictis ea prorsus vetarent. Quod num jam anno 139 a. C. cum Chaldaei ex Italia pulsi sunt, factum sit pro certo dici nequit, sed postea aedile Agrippa auctore magis idem evenisse haud ignoramus[2]. Ac tali insectatione iterum vexati sunt anno 16 p. C.[3] et saepius postea[4]. Jam ex his de magia edictis, quanto in honore Romae vana illa ars fuerit, intelligitur. Cujus rei causam Plinius hanc affert: Auctoritatem ei maxumam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tris alias imperiosissimas humanae mentis complexa in unam se redigit · natam primum e medicina nemo dubitat ac specie salutari inrepsisse velut altiorem sanctioremque medicinam, ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse viris religionis, ad quas maxume etiamnunc caligat humanum genus, atque ut hoc quoque suggesserit, miscuisse mathematicas artis, nullo non avido futuro de se sciendi atque ea e caelo verissime peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum fastigi adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praevaleat et in oriente regum regibus imperet[5].“ — Jam vero quid de magia illa aliena, cujus perfectam quandam disciplinam magi invenerant, Plinius statuerit, explicandum videtur. Postea de-

---

1) Disputavit hisce de rebus doctissime Meyerus in hist. botanices. — 2) *τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γοήτας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν* Dio Cass. ILIX, 43. — 3) Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta. Tac. Ann. II, c. 32. — 4) Saepissime denique interdictum est ab omnibus principibus, ne quis omnino hujusmodi ineptiis se immisceret et varie puniti sunt. — Ulpian. lib. VII de offic. proconsul. s. t. de mathematic. et hariol. — 5) Plin. XXX, §. 1 fin et §. 2.

mum de rebus magicis a Romanis inventis agendum erit. Ac si quidem locos, quibus Plinius magorum doctrinas refert, consideramus, saepissime eum locutione „magorum commenta“ vel „magorum vanitates“ uti invenimus. Ut exemplum afferam, quo ejus de magia judicium appareat, haecce ejus verba discribenda putavi: „Magicas, inquit, vanitates saepius quidem antecedente operis parte, ubicumque causae locusque poscebant, coarguimus detegemusque etiamnum · in paucis tamen digna res, de qua plura dicantur, vel eo ipso, quod fraudulentissima artium plurumum in toto terrarum orbe plurumisque saeculis valuit [1]). Vehementissime autem magos alio loco his verbis increpat: „Sed super omnia est compositio, quae invictos faciunt Magorum mendacia: cauda draconis et capite, pilis leonis e fronte et medulla ejusdem, equi victoris spuma, canis ungue adalligatis cervino corio nervisque cervi alternatis et dorcadis, quae coarguisse non minus refert, quam contra serpentis remedia demonstrasse, quoniam et haec morum veneficia sunt [2]).“ Cum ironia quadam magos hoc loco perstrinxit: „Addunt, inquit, etiam nunc alia (de ranis sc.) Magi, quae si vera sint, multo utiliores vitae existimentur quam leges. Namque harundine transfixa a natura per os si surculus in menstruis defigatur marito, adulterorum taedium fieri [3]).“ Alias vero Plinius se magorum doctrinas non probare locutione „si magis credimus“ ostendit [4]). Sed extat ingens locorum copia, quibus Plinius simpliciter de rebus ad magiam pertinentibus exponit, neque tamen suum interponit judicium [5]). Credo autem inde cum magis Plinium saepius consensisse colligi non posse, cum scriptor in tanta magicarum

[1]) Plin. XXX, §. 1. — [2]) Plin. XIX, 68. — [3]) Plin. XXXII, §. 49. — [4]) Cfr. XXX, §. 110; — XVIII, 228. Alios locos citare nihil attinet. — [5]) Cujus generis sunt: XIX, §. 117; — XXX, §. 54; — XXX, §. 95; — XXXII, §. 55; — XIX, §. 59; — XXX, §. 84; — XXX, §. 82; — XXXII, §. 72; — XXX. §. 64; — XXVIII, §. 260; — XXIV, §. 72; — XXI, §. 116; — XXV, §. 129; — XX, §. 74 et permulti alii.

rerum copia quid de iis senserit, non in unaquaque referenda pronuntiare posset.

Itaque Plinium magiam illam ex oriente in Italiam translatam prorsus repudiasse constat.

Sed praeterea apud Plinium permulta remedia magica aliaque hujus generis inveniuntur, quibus jam inde ab antiquissimis temporibus Romani fidem habuerunt. Ac prae ceteris fascinationem commemoremus opus est, quam verbis visuque perpetrari posse opinabantur [1]). In verbo enim magnam vim fascinantem Romani posuerunt, quod ex eorum medicina, ex augurali doctrina permultisque aliis vitae rationibus cognoscere licet. Namque carminibus jam antiquissimis temporibus sanatum esse Virgilius, si quidem testis citandus est, testatur, qui de sacerdote quodam ita cecinit [2]).

spargere qui somnos cantu manuque solebat
mulcebatque iras et morsus arte levabat.

Tum in versibus sequentibus:

Sed non Dandaniae medicari cuspidis ictum
evaluit neque eum juvare in volnere cantus
somniferi.

Tum Catonem carminibus ad luxaturas sanandas usum esse jam supra notavimus. Eximiam vero vim Romani in augurali disciplina verbis concesserunt. Prodigia enim eo tantum sensu homines adstringere credebantur, quo erant percepta. Quod Plinio quoque probatum fuisse ex hic verbis intelligitur: „Haec satis sint exemplis, ut adpareat ostentorum viris et in nostra potestate esse ac prout quaeque accepta sint ita valere. In augurum certe disciplina constat neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observasse ea negaverent, quo munere divinae indulgentiae majus nullum est“ [3]).

[1]) Cfr. hac de re Otto Jahn: Ueber den Aberglauben des bösen Blicks bei den Alten. Berichte der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1855, p. 28—111. — [2]) Aeneid. lib. VII, 752. — [3]) Plin. XXVIII, §. 17 praeterea cfr. Hartung, Religion der Römer I, p. 98.

Sed plane non in minori auctoritate fuit visus mali superstitio, quam fascino potissimum arceri passe opinabantur [1]). Praeter hunc contra visum malum atque incantationes in sinum spuere vel despuere juvabat [2]) nec parva vis in amuletis inesse credebatur [3]). Quibus rebus omnibus Romani id agebant, ut specie quadam turpi et taedium movente, quali fascinus, fascinantem prohiberent. Eadem ratione perducti remedium quoddam insectorum delendorum excogitasse videntur, quod Plinius nobis tradidit. „Privatim autem, inquit, (sc. jubent) contra urucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis nudis pedibus, recincta“ [4]). Idem etiam grandines et fulgura abigit [5]). Atque hujusmodi turpissimis remediis medicos illius aetatis, magos maxime permagnam auctoritatem tribuisse, fortasse quod omnes morbos fascinatione quadam effectos putarent, ingenti copia exemplorum ex libris naturalis historiae repetitis demonstrare licet. Juvat igitur ad libros XX—XXXII ablegare, quamquam in aliis quoque talium rerum mentionem fecit [6]). Sed quaeramus quae Plinii de hujusmodi rebus sententia fuerit.

Ac polleantne verba aliquid et incantamenta carminum quaestionem dicit semper incertam [7]). Omnes sapientes homines fidem ab ea abjudicasse, in vita autem omnibus horis credi neque tamen sentiri [8]). Qua de quaestione cum deinceps inde a paragrapho 10 — §. 25 fere libri XXVIII disputet, mirabili sane ratione judicium ejus fluctuat. Modo enim de carminum vi prorsus non dubitat, modo in contrariam sententiam discedit. De nonnullis vero locis quid senserit non liquet, cum judicio non interposito loquatur. Quod accidit in sollemnium descriptione a summis magistratibus celebrandorum [9]). Quo loco num ipse putaverit, diras obstrepentes vel errorem

---

[1]) Plin. XXVIII, §. 7. — [2]) Plin. XXVIII, 35; — XXVI, 93. — [3]) Plin. XXXII, 11; — XXXIII, 25; — XXX, 47. — [4]) Plin. XVII, 266. — [5]) Plin. XXVIII, §. 77. — [6]) Si quis famelicus appetitum abigere velit, legat exempli gratia XXX, §. 93 et quae sequuntur. — [7]) Cfr. Plin. XXVIII, §. 10. — [8]) Ibid. — [9]) XXVIII, §. 11.

in precatione recitanda valde nocuisse et inde factum esse, ut victima stante extis capita vel corda adimerentur aut geminarentur, pro certo dici non potest. Judicium deinde non interponit in historia Tucciae Vestalis tradenda [1]). Sed vim precationis, quam magister quindecemvirum collegii recitavit, cum boario in foro homines immolarentur, Plinius non negat [2]). Atque „Vestalis, inquit, nostras hodie credimus nondum egressa urbe mancipia retinere in loco precationibus, cum si semel recipiatur ea ratio et deos preces aliquas exaudire aut illis moveri verbis, confitendum sit de tota conjectione.“ Tum in sequenti paragrapho de fulminum eliciendorum superstitione agit. Porro commemorat ex multorum sententia magnarum rerum fata et ostenta verbis permutari posse. Quod ad probandum, quae in Capitolio exstruendo accidissent et quadrigarum illarum exemplum, quae in fornace creverant, attulit ac postremo haec verba adjunxit: „Haec satis sint exemplis ut appareat ostentorum viris et in nostra potestate esse ac prout quaeque accepta sint ita valere [3]).“ Itaque sententiam eorum qui magnarum rerum fata verbo permutari posse opinabantur, probavit. Deinde quae in XII tabulis de frugum effascinatione et quae a Varrio Flacco de evocatione tradita sunt simpliciter refert [4]). Defigi vero homines diris precationibus vulgarem superstitionem esse dicit [5]). Tum aliarum quoque opinionum superstitiosarum mentione facta parites etiam incendiorum deprecationibus conscribi narrat. „Neque, inquit, est facile dictu externa verba atque ineffabilia abrogent fidem validius an Latina inopinata et quae inridicula videri cogit animus semper in inmensum exspectare ac dignum deo movendo, immo vero quod numini imperet [6]). Sed de ratione qua pro-

---

[1]) Ibid. §. 12. — [2]) Ibid. §. 13. Quod sacrum factum Claudio imperante in ludis secularibus celebrandis. Cfr. Urlichs. Chrest. Plin. p. 248 adnot. ad §. 12. — [3]) Plin. XXVIII, §. 17. — [4]) Ibid. §. 17—18. — [5]) Ibid. §. 19: Defigi quidem diris precationibus nemo non metuit. — [6]) Ibid. §. 20.

fluvium sanguinis vulnerato femine Ulixem[1]) inhibuisse Homerus tradit, tum de Catonis, Varronis, Caesaris carminibus quid senserit, non pronuntiavit[2]). Inde autem usque ad §. 25 varios commemorat mores superstitiosos, quibus, ut mihi quidem videtur, fidem carminibus habitam non prorsus nihili esse faciendam comprobare videtur[3]).

Constat igitur Plinium hisce de rebus non certam habuisse sententiam. Nos vero eum laudabimus, quod de quaestione semper incerta (ut eam ipse nominavit §. 10) quid statuere velit uniuscujusque judicio relinquit. „Carmina quidem, inquit, extant contra grandines contraque morborum genera contraque ambusta, quaedam etiam experta, sed prodendo obstat ingens verecundia in tanta animorum varietate, quapropter de iis, ut cuique libitum fuerit opinetur[4]).

Sed quod ad visus mali superstitionem attinet, fidem ab eo non abjudicavit. Loco quidem illo, quo hac de re disputat[5]) ad scriptores ipsos, ex quorum libris de visu malo notitiam sibi comparaverat, provocat, ita ut rebus ab illis narratis paulum diffisum esse non immerito statuere liceat, sed cum jam §. 18 naturam, quod etiam in quorundam hominum oculis venena genuerit, accuset, non est cur de visus mali vi eum dubitasse credamus. Scriptoris autem verba ad hanc rem pertinentia haec sunt: „In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus et Nymphodorus (scil. tradunt), quorum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes · esse ejusdem generis in Triballis et Illyriis adicit Isigonus, qui visu quoque effascinent interimantque quos diutius intueantur, iratis praecipue oculis, quod eorum malum facilius sentire puberes · notabilius esse, quod pupillas binas in singulis habeant oculis. Hujus generis et feminas in Scythia, quae Bithiae vocantur, prodit Apollonides. Phylarchus et in Ponto Thibiorum genus multosque alios ejusdem naturae, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam in altero equi effigiem · eosdem praeterea non posse mergi ne veste quidem degravatos · haut dissimile iis genus Pharnacum in Aethiopia prodidit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus adferat · feminas quidem omnis ubique visu nocere quae duplices pupillas habeant Cicero quoque apud nos auctor est · adeo naturae, cum ferarum morem vescendi humanis visceribus in homine genuisset, gignere etiam in toto corpore et in quorundam oculis quoque venena placuit, ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset.“ Ac contra visum malum salivae remedio Romani usos esse jam supra monui. Praeterea vero notandum videtur salivam omnino Romanos magnum habuisse amuletum. Quod Plinius quoque probavit, cum libro XXVIII, §. 35—38 ita hac de re disputet, ut magnam in saliva vim eum posuisse appareat. Sed quid in universum de amuletis senserit, non liquet. Fascini quidem amuletum non contempsit, de quo haec dicet: „Quamquam illos (infantes scil.) religione muta tutatur et fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiae, jubetque eosdem respicere similis medicina linguae, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriae carnifex[1]).“ Sed de ceteris rebus quas pro amuletis Romani adhibebant, quae Plinii sententia fuerit, dici non potest[2]).

---

[1]) Ulixes id non fecit sed filii Autolyci, cfr. Odyss. XIX, 455. — [2]) Ibid. §. 21. — [3]) Quod ex his verbis elicio: „Libet hanc partem singulorum quoque conscientia coarguere · cur enim primum anni incipientes diem laetis precationibus invicem faustum ominamur? cur publicis lustris etiam nomine victimas ducentium prospera eligimus? cur etc. initio §. 22. — [4]) Plin. XXVIII, §. 29. — [5]) Lib. VII, §. 16 seq.

[1]) Plin. XXVIII, §. 39. — [2]) Cet. cfr. XXXV, §. 115; — XXIII, §. 20; — XXXVII, §. 118; — XXXVI, §. 138; — XXXVII, 51.

DE ANTHROPOLOGIA.

A proposito meo, non alienum esse puto, de iis quoque disputare, quae Plinius de hominis natura judicaverit, quamquam haec quaestio prae ceteris difficilis est nec multa, quae certa et perspicua sunt, indagare possunt. — De origine igitur animae sublimem habuit sententiam, cum eam partem caeli i. e. aetheris divini et sideribus cognatam esse contenderet[1]. Quam veram Plinii fuisse sententiam ex alio quoque loco intelligitur, ubi de ejus origine haec dicit: „Denique haec trahebatur e caelo[2].“ Itaque minime animam materiae esse expertem, sed ex illa sublimiori constare, qua caelum et sidera, ei erat persuasum. Caeli vero partem, in qua astra volvuntur, Plinium cum stoicis aliisque philosophis pro aethere habuisse, jam in capite de rebus caelestibus explicavimus.

Sed quod attinet ad „divinae illius partis“ immortalitatem, quid Plinius vere senserit non satis liquet. Locis enim quibusdam prorsus eam negavit, alio tamen loco probavit, quae sententiae inter se discrepantes, quo modo conciliari possint, postea exponere liceat. Nunc quidem unum ex locis illis afferam, qui est libro VII, §. 188 seq. „Omnibus, inquit, a suprema die eadem, quae ante primum, nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem· eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat et in mortis quoque tempora sibi vitam mentitur, alias inmortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando et manis colendo deumque faciendo qui jam etiam homo esse desierit, ceu vero ullo modo spirandi ratio ceteris animalibus distet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat inmortalitatem·quod autem corpus animae per se? quae materia? ubi cogitatio illi? quomodo visus, auditus aut qui tangit? quis usus ejus aut quod sine his bonum? quae

[1] II, §. 95. — [2] XI, §. 277.

deinde sedes quantave multitudo tot saeculis animarum velut umbrarum? puerilium ista delenimentorum avidaeque nunquam desinere mortalitatis commenta sunt·similis et de adservandis corporibus hominum ac reviscendi promissa a Democrito vanitas, qui non revixit ipse. Quae, malum, ista dementia iterari vitam morte? quaeve genitis quies unquam, si in sublimi sensus animae manet, inter inferos umbrae? perdit profecto ista dulcedo credulitasque praecipuum naturae bonum, mortem, ac duplicat obituri dolorem etiam post futuri aestumatione·etenim si dulce vivere est, cui potest esse vixisse? at quanto facilius certiusque sibi quemque credere ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento!“

Quem locum integrum citandum esse putavi non solum quod ad hanc quaestionis partem pertinet, sed quod omnino ex illo mirificam philosophandi rationem tristemque animum scriptoris nostri cognoscere licet[1]. Interpretatione quidem verba illa Pliniana non egent, quare ad alteram sententiam huic, quam modo tractavimus, plane contrariam transire possumus. Namque libro XI, §. 277 animam solam ex homine superfuturam esse contendit[2]. Sed quoniam hoc loco voce animae id intelligitur, quod in nostra lingua vocabulo Athem, ad hanc quaestionem eum minime quadrare Pliniumque prorsus animae immortalitatem negasse multi fortasse conjicient. Ego vero aliter sentio. Etenim illud, quo vivimus Plinium ex aëre quodam sublimiori constare putasse nunc satis notum est. Ac cum talem naturam principio vivendi tribueret, non sine consilio loco illo longiori, quem totum attulimus vocabulo animae non animi utebatur. Quamquam enim anima eodem quoque

[1] Alio loco, qui huc referri potest, de inferis ita judicavit: „si ulli esset inferi jam profecto illos avaritiae atque luxuriae cuniculi refodissent.“ II, 158 in fin. — [2] Dolorem sentire non poterat (scil. anima) tactu sensuque omni carebat, sine quibus nihil sentitur· eadem commeabat, recens adsidue, exitura supremo et sola ex homine superfutura·denique haec trahebatur e caelo. XI, §. 277.

sensu adhibetur, quo animus[1]), tamen illa voce adhibita ad propriam semper significationem Luft, Lufthauch spectare licuit. Sed ut redeamus ad nostrum locum, ubi anima Athem significat, hanc eandem habere originem quam principium vivendi i. e. caelum intelligimus[2]). Quare et anima Athem et principium vivendi ejusdem sunt naturae. Ratio vero talis inter ea intercedit, ut cum „animam trahant" homines, principio vivendi novas partes aetheris caelestis afferant vel prorsus illud novum efficiant. Ita ego quidem rem mihi compono; alii fortasse aliter, cum res valde obscura sit nec satis constet, num omnino Plinius de hac re perspicuam habuerit sententiam[3]). Aether vero divinus, qui homini vitam tribuit morte corpore decedit neque tamen interit, sed in altum effertur. Conscientia autem et memoria et cogitatio ab eo absunt, quippe quae vires ex conjunctione tantum animae cum corpore nascantur. Ita quidem Plinius de animae natura ejusque immortalitate sensisse mihi videtur et quamquam de omnibus, quae exposuimus, non satis distincte cogitavit, tamen in universum haec aut similia ejus animo obversata esse arbitror.

Sed reliqua quae ad hanc quaestionem pertinent tam obscura sunt atque ita inter se discrepant, ut ego breviter tantum eorum mentionem facturus sim. Mentis igitur sedem cor nominavit[4]), sed mentis regimen in cerebro posuit[5]). Namque cerebrum omnino summum inter corporis partes locum obtinere putavit. „Hoc est, inquit, viscerum excelsissimum proxumumque caelo, capitis, sine carne, sine cruore, sine sordibus·hanc habet sensus arcem huc venarum omnis a corde vis tendit, hic desinit, hoc columen altissimum, hic mentis est regimen[6])." — Sensus per se nihil sentiunt nisi animae vis acce-

[1]) Cfr. Kritzii ad Jug. Sall. II, 1 adn. — [2]) Denique haec trahebatur e caelo. — [3]) Quomodo anima, quae „adsiduo recens" est (XI, 277) e caelo trahi possit non video. Fortasse dispersae aetheris partes in aëre circumvagari credidit, quae homines sugant. — [4]) XI, 182. — [5]) Cfr. Verba quae sequuntur. — [6]) XI, §. 135.

dit. Itaque non oculis, sed animo nos videre dixit[1]) — Tum memoriam in ima aure[2]) et pudorem in malis habitare putavit[3]). Quae sententia ita est mirifica, ut nihil habeam, quod ad eam interpretandam proferam, nisi forte Plinium de iis poëtice esse locutum accipimus. — Subtilitatem denique animi sanguinis tenuitate constare credidit, ut ex hoc loco intelligitur. „Sunt qui subtilitatem animi constare non tenuitate sanguinis putant, sed cute operimentisque corporum magis aut minus bruta esse, ut ostreas et testudines·boum terga, saetas suum obstare tenuitati inmeantis spiritus, nec purum liquidumque tramitti·sic et in homine, cum crassior callosiorve excludat cutis, ceu vero non crocrodilis et duritia tergoris tribuatur et sollertia[4])." —

DE ETHICA ET POLITICA.

Etiam qui leviter in historia naturali legenda versati sunt, quam tristem et miseram hominum condicionem Plinius habeat, quantas et quam frequentes de humana miseria querimonias proferat, haud ignorant. Quare brevius hanc rem tractare et illustres tantum locos laudare liceat. Itaque quod ad hominum felicitatem pertinet, neminem esse felicem arbitrabatur· abunde agi cum eo, qui jure non infelix dici possit·namque ut alia non sint, certe ne lassescat fortuna metum esse, quo semel accepto solidam non esse felicitatem[5]). Jam inde a die

[1]) Animo autem videmus, animo cernimus, oculi ceu vasa quaedam visibilem ejus partem accipiunt ac tramittunt. XI, 146. Quae de oculis dicit non video cur non ad reliquos sensus referri possint. — Quod hic animum non animam dixit vix offendet. Etenim vel inconstantiam sermonis habemus, aut animum scriptor noster animae partem accepit. — [2]) XI, §. 251. — [3]) XI, §. 157. — [4]) XI, §. 226. — [5]) Cfr. Plin. VII, §. 130 seq.

natali homo miser est. Etenim cum ceteris animalibus varie tegumenta natura tribueret, testas, cortices, spina, coria cet., hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abjecit ad vagitus statim et ploratum nullumque tot animalium aliud ad lacrimas[1]). Ac cetera quidem animalia naturam suam sentiunt, cum alia pernicitatem usurpent, alia natent: homo autem solus nihil scit, non fari, non ingredi, non vesci potest, breviterque non aliud naturae sponte quam flere[2]) „itaque multi exstitere, qui non nasci optumum censerent aut quam ocissime aboleri · uni animantium luctus est datus, uni luxuria, et quidem innumerabilibus modis ac per singula membra, uni ambitio, uni avaritia, uni inmensa vivendi cupido, uni superstitio, uni **sepulturae cura atque etiam post se de futuro** · nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior · denique cetera animantia in suo genere probe degunt · congregari videmus et stare contra dissimilia · bovum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentis, ne maris quidem beluae ac pisces nisi in diversa genera saeviunt · at Hercule, homini pluruma ex homine sunt mala[3]).“

Cum talis igitur hominum condicio esset, consentaneum erat eum id, quod Stoici quoque in vitae miseria commendaverunt, ab hominibus pro remedio habendum esse contendisse, nempe patientiam[4]). Quod prorsus concinit cum sententia ejus de ratione, quae inter deum et mundum intercedit. Nam cum rerum natura omnia temperet lege quadam aeterna, homines ei libenter obtemperent oportet, quoniam dementia est trahi malle quam sequi. Optime igitur Seneca boni viri esse dixit, **praebere se fato**. — Sed ita quidem Stoici concluserunt[5]);

---

[1]) Cfr. Plin. VII, §. 2. — [2]) Cfr. VII, §. 4. — [3]) Cfr. Plin. VII, §. 4 s. fin. — §. 6. Praeterea cfr. quae de hominis origine scriptor disputavit libro VII, §. 43. — [4]) Cfr. Plin. II, §. 55, quem locum mox afferam. — [5]) Satis est Cleanthis versus illos clarissimos laudare (apud Epictet. Man. 52):

Plinius autem rationem philosophicam, ut mihi quidem videtur, non secutus, cum miseram hominum condicionem consideraret, remedium indagavit nullum nisi patientiam. Ac simul solacium exemplo stellarum proposito hominibus praebet. „Quis enim, inquit, haec cernens et statos siderum (quoniam ita appellare placuit) labores non suae necessitati mortalis genitos ignoscat[1])?“

Sed cum vita non adeo sit expetenda, ut quoquo modo trahi oporteat, secundum Plinii sententiam ex omnibus bonis, quae natura homini tribuit, nullum tempestiva morte melius est idque in ea optimum, quod **illam sibi quisque praestare potest**[2]). Quam de morte voluntaria opinionem non Plinio tantum, sed permultis apud veteres probatam fuisse, jam supra ostendimus, ubi de hac re quae necessaria videbantur exposui[3]).

Ceterum non solum de hominis misera condicione miseros decantat elegos, sed etiam eosdemque plurimos de nimia morum depravatione illius aetatis. Atque hujusmodi declamationibus historia naturalis ita est referta, ut lector taedium quoddam non possit superare[4]). Itaque, ut exemplum affe-

---

ἄγου δέ μ᾿ ὦ Ζεῦ καὶ σύγ᾿ ἡ Πεπρωμένη
ὅποι ποθ᾿ ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
ὡς ἕψομαί γ᾿ ἀόκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω,
κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

Copiose hac de re in Senec. dialog. de providentia actum est. Cfr. inprimis cap. V, §. seq.: „Fata nos ducunt et quantum cuique temporis etc.; tum §. 8: Quid est boni viri? **praebere se fato** · grande solatium est cum universo rapi.

[1]) Cfr. Plin. II, §. 55. — [2]) Cfr. Plin. XXVIII, §. 9: Vitam quidem non adeo expetendam esse censemus etc. · · · · Quapropter hoc primum quisque in remediis animi sui habeat, ex omnibus bonis, quae homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiva morte etc. — [3]) Ceterum cfr. Plin. II, §. 156; — II, §. 27; — Zeller III, 184—187. — [4]) Cfr. Urlichs praef. Chrest. Plin. p. XVI: Plinius Lebensansicht ist düster; das Menschengeschlecht ist verdorben und unglücklich, ja selbst die Natur, an deren harmlosen und wohlthätigen Wirken, wie

ram, ingentem illius aetatis luxuriam conviviorum incredibilemque fere convivarum voracitatem castigavit. Quis enim non meminerit verborum notissimorum: „edunt ut vomant et vomunt ut edant.“ Rectissime igitur Plinius haec dixisse videtur: „Plurumum tamen homini negoti alvos exhibet, cujus causa major pars mortalium vivit······· eoque mores venere, ut homo maxume cibo pereat · pessumum corporum vas instat ut creditor et saepius die appellat · hujus gratia praecipue avaritia expetit, huic luxuria condit, huic navigatur ad Phasim, huic profundi vada exquiruntur · et nemo vilitatem ejus aestimat consummationis foeditate [1])“ Tum coloribus vividissimis ebrietatem turpissimasque sitis stimulandae rationes, quibus frequentes temporis illius potatores utebantur, depinxit [2]). Milia scelerum ob vinum esse commissa. Quod quamvis mentem hominum mutet et furorem gignat, tamen a plerisque praemium vitae haberi. Multos etiam, ut ingentem vini copiam biberent, venena concipere. Alios in balneis lectum exspectare non posse, immo vero nec tunicam nudosque ibi protinus et anhelos ingentia vasa concipere velut ad ostentationem virium ac plene infundere, ut statim vomerent rursusque haurirent idque iterum et tertium tanquam ad perdenda vina genitos et tanquam effundi illa non possent nisi per corpus humanum. Sed praeter haec vitia tunc margaritarum atque tegumentorum

---

an dem geschäftigen Treiben der Thiere er seine Freude hat, wird durch die in ihr Inneres dringenden Menschen gestört. Die in dem Stil Seneca's sich ergehenden Declamationen über die Sittenverderbniss und den Luxus ermüden durch ihre Wiederholung, und der Tadel nützlicher Empfindungen wird wie die Beurtheilung der Schifffahrt durch einen Admiral (XIX, §. 6) abgeschmackt. Quae Seneca de morum depravatione judicaverit ex hoc uno loco intelligitur: Peccavimus omnes, alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi aut aliena nequitia ablati, alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus etc. De Clem. I, 6. De frequentibus hujusmodi declamationibus apud Senecam cfr. Bernhardy p. h. l. R. 720 seq. ed. III.

[1]) Plin. XXVI, §. 43. — [2]) Plin. XIV, §. 137—140.

pretiosissimorum ingens luxuria erat, quam Plinius acerbissimis verbis castigavit [1]). Non aliter unguentorum usum, illa aetate jam in castris acceptum, et nimium argentorum aureorumque vasorum reprehendit ornatum [2]). Quam exosus fuerit avaritiam haec verba satis demonstrant: „Sed a nummo prima origine avaritiae faenore excogitata quaestuosaque segnitia nec paulatim exarsit rabie quadam non jam avaritia sed fames auri [3]).“ Ac alio loco ita disputat: „imus in viscera (scil. terrae) et in sede manium opes quaerimus tanquam parum benigna fertilique qua calcatur [4]). Tum de libidinibus, quibus illa aetate ingens omnium ordinum copia dedita erat [5]) sufficit hunc locum laudare: „Ceteris, inquit, (sc. animalibus) satias in coitu, homini prope nulla. Messalina Claudi Caesaris conjunx regalem existumans palmam eligit in id certamen nobilissimam e prostitutis ancillam mercenariae stipis eamque nocte ac die superavit quinto ac vicesimo concubitu. In hominum genere maribus deverticula veneris excogitata, omnia scelere naturae, feminis vero abortus quantum in hac parte multo nocentiores quam ferae sumus [6])“ Cum igitur homines vitam agant naturae plane repugnantem, inde factum esse opinatur, ut non satis in litteris progressi sint [7]). Atque hisce quidem expositis quae Plinius de rebus ethicis, quantum quidem ex historia naturali colligi liceat, judicaverit, demonstrasse mihi videor.

Restat nunc, ut de Plinii sententiis, quae ad rempublicam administrandum aliasque hujus generis res pertineant, pauca adjiciam. Eum igitur reipublicae condicionem, qualis ante Trajanum imperatorem fuerat, non probasse minimeque probare potuisse, ex omnibus quae adhuc exposita sunt, apparet. Vehementer enim recentioris aetatis instituta moresque castigavit,

---

[1]) Cfr. Plin. IX, §. 144; — XXXVII, §. 15; — XI, §. 76. — [2]) Cfr. XIII, §. 20—24; — XXXIII, §. 145; — XXXIII, §. 39. — [3]) Cfr. XXXIII, §. 48. — [4]) XXXIII, §. 2. — [5]) Cfr. Schmidt Geschichte etc. p. 264 seq. — [6]) Plin. X, §. 172. — [7]) Plin. XIV, §. 2 seq.

cum voluptate autem permagna veterum temporum veterisque simplicitatis mentionem fecit. Quare summas tribuit laudes iis, qui quamquam amplissimis honoribus perfuncti sunt, mores tamen et labores rusticos non contempserunt. Quorum in numero habendus est clarissimus ille Curius Dentatus [1]), C. Atilius Regulus Serranus, quem serentem invenerunt dati honores [2]) atque Cincinnatus, cui aranti quatuor sua jugera in Vaticano viator attulit dictaturam [3]). Summum tamen locum inter veteres Romanos Catoni tribuit, cum ita eum praedicaret: „Cato primus Porciae gentis tris summas in homine res praestitisse existumatur, ut esset optumus orator, optumus imperator, optumus senator [4]).“ Catonis igitur verbis: „Fortissimi viri et milites strenuissimi ex agricolis gignuntur minumeque male cogitantes [5])“ prorsus assententitur omniaque Catonis praecepta, quae ad rem rusticam pertineant, sapientissima et agriculturae utilissima habet atque Romanis commendat [6]). Cum eo agricultura quasi fundamento rempublicam niti censet [7]). Sed in hac quoque re quam paucis contenti fuerint prisci Romani monuit. „Namque modum agri in primis servandum antiqui putavere; quippe ita censebant, satius esse minus serere et melius arare····· latifundia perdidere Italiam [8]).“ Sed praeter viros rebus gestis clarissimos, quos jam commemoravimus, magni fecit Scipionem Aemilium, in quo non prius attamen clarius ea fulsisse dicit, quae in Catone, dempto praeterea plurimorum odio, quo Cato laboravit [9]). Magnis deinde

¹) Cfr. XIX, §. 87; — IX, 118; — XVI, 185. — ²) Plin. XVIII, §. 20. — ³) Ibid. — ⁴) Plin. VII, §. 100. Aemilianum, quem Catoni opponit, non inter veteres Romanos refero, qui rustica simplicitate insignes sunt. — ⁵) Plin. XVIII, §. 26 — ⁶) Exempla citare supersedeo, cum in libris hist. nat., in quibus de agricultura actum est, in quoque fere capite Catonis mentionem faciat. — ⁷) Cfr. Plin. lib. XVIII, §. 6–24. — ⁸) Plin. XVIII, 35, praeterea cfr. eodem libro §. 6: Bina tunc jugera populo Romano satis erant etc. — ⁹) VII, §. 100.

laudibus Pompejum [1]) et Caesarem [2]) prosequitur, neque tamen vitia atque errores eorum silentio praetermittit [3]). Etenim omnino in rebus quae ad historiam pertinent, minime utebatur judicio praeoccupato aut perverso [4]). — Principatum cum prudentissimis omnibus consentiens illis temporibus necessarium habuisse videtur, cum in historia naturali locum indagemus nullum, quo illo non fuisse contentum et liberam rempublicam instaurandam censuisse appareat. Malos tamen imperatores vehementer vituperavit, quamquam Tiberium modice perstrinxit, cum hominem tantum tristissimum [5]) in senecta severum atque etiam saevum alias [6]) appellaret. Caligula autem et Nero faces generis humani erant [7]). Claudii quidem imperium, cum

¹) VII, §. 95–99, quo loco Pompeji res gestas recenset. — ²) In fine §. 99 ejusd. libri de Caesare haec dicit: „Si quis e contrario simili modo velit percensere Caesaris res, qui major illo apparuit, totum profecto terrarum orbem enumeret, quod infinitum esse conveniet.“ — Eodem libro §. 91: „Animi vigore praestantissimum arbitror genitum Caesarem dictatorem·nec virtutem constantiamque nunc commemoro, nec sublimitatem omnium capacem, quae caelo continentur, sed proprium vigorem celeritatemque quodam igne volucrem scribere aut legere, simul dictare et audire accepimus, epistulas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare [aut si, nihil aliud ageret, septenas]·idem signis conlatis quinquagiens dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragiens dimicavit.“ — Tum §. 93··· Caesari proprium et peculiare sit praeter supra dicta clementiae insigne, qua usque ad paenitentiam omnis superavit etc. — ³) XXXVII, §. 15; — VII, 94 spectacula — edita effusasque opes aut operum magnificentiam in hac parte enumerare luxuriae faventis est. — ⁴) Mit dem stolzen Nationalgefühle eines Römers verbindet sich die aufrichtigste Bewunderung der Tugend und Hochherzigkeit, wodurch die Republik zu ihrer Grösse gelangt war, ohne deshalb nach Art der meisten Geschichtsschreiber Ungünstiges zu verschleiern und bei aller Verehrung, welche er den hervorragenden Familien zollt, ist seine Erzählung frei von aristokratischer Schönfärberei, welche Livius u. A. angewendet haben. Urlichs praef. Chrest. Pl. p. XVI. Praeterea cfr. Niebuhr, Röm. Gesch. III, p. 370. — ⁵) Plin. XXVIII, 23. — ⁶) XIV, 144. — ⁷) VII, 45.

Messalina illa in coitu insatiabilis[1]) et Agrippina[2]) et perditissimi libertini[3]) libidinibus suis indulgerent, Plinio non placuisse, neminem offendere poterit. Sed multo acerbius judicium de Nerone tulit. Is enim toto principatu suo hostis generis humani fuit[4]). Ei veneficio Claudius imperium reliquit[5]) atque Agrippina eum terris venenum alterum sibique ante omnes dedit[6]). — Vitellii deinde luxuriam reprehendit, quippe qui in principatu suo X̄. HS. condidisset patinam, cui faciendae fornax in campis exaedificata fuisset[7]). Sed summo cum gaudio eum imperatorem praedicat, qui istiusmodi viris successit, Vespasianum. Maximum omnis aevi rectorem eum laudat, fessis rebus subvenientem et jam caelesti passu ad aeternam gloriam vadentem[8]). Salutare Vespasiani exortu omnes liberae admissionis jus acceperunt, cum Claudii principatu pauci tantum haberent, qui, ut ab aliis differrent, imaginem principis ex auro in annulo gerebant[9]) Ac Vespasiano demum imperante Plin'us ad magistratus gerendos accessit, cum per saeva et virtutibus iniqua tempora in otio operam studiis navavisset[10]). Mox familiaritate Caesaris utebatur, quem jam ante lucem avunculum frequentasse Plinius minor ep. III, 5 testatur. Quali omnino amicitiae vinculo cum Vespasiano conjunctus fuerit, quae de ejus virtutibus atque imperio judicaverit in praefatione (§. 1—7) inprimis ostendit. Ac magnis sane laudibus in opere illo, quo a fine Aufidii Bassi exorsus Vespasiani res gestas tradidit, imperatorem prosecutus est, cum libros illos „ne quid ambitioni dedisse vita judicaretur[11])“ post mortem demum edere vellet. —

Plinius igitur quamquam veterum temporum mirator prin-

1) X, 172; — XIX, 8. — 2) XXX, 201. — 3) XXXVI, 60; — XXXIII, 145. — 4) VII, 46. — 5) Plin. II, §. 92. — 6) XXII, 92. — 7) XXXV, §. 163. — 8) II, §. 18. — 9) XXXIII, §. 41 — quae omnia salutaris Vespasiani imperatoris exortus abolevit aequaliter publicando principem. — 10) Cfr. Urlichs praef. Chrest. Pl. p. XI. — 11) Plin. praef., §. 19.

cipatus adversarium se non praestitit. Fortasse sententiam eorum probavit, qui unius quidem imperium non rejceerunt, sed tamen potentiae salutarem descriptionem modicamque temperationem fieri oportere crediderunt[1]). —

Sed inter omnes populos praestantissimum habuit Romanum. „Gentium, inquit, in toto orbe praestantissima una omnium virtute haud dubie Romana exstitit[2]).“ Romani de omnibus populis optime sunt meriti, cum humanitatem divulgarent[3]). Romani omnino rebus humanis velut alteram lucem dederunt. Pax enim Romana non homines modo diversis inter se terris gentibusque verum etiam montes et excedentia in nubes juga partusque eorum et herbas quoque invicem ostentavit[4]). Sed quam damnosa ingens Romani imperii magnitudo sit, optime sane intellexit. „Ita est profecto, inquit, magnitudo populi perdidit ritus, vincendoque victi sumus·paremus externis, et una artium (scil. medicina) imperatoribus quoque imperaverunt[5]).“

Ardenti denique Italiae patriae amore perfusus erat, cujus amoenitatem summis laudibus in fine historiae naturalis prosecutus est. Quae verba nos quoque in fine hujus libelli aptissimum certe epilogum adhibemus. „Ergo in toto orbe, inquit, quacumque caeli convexitas vergit, pulcherrima omnium est in rebusque merito principatum naturae optinet Italia, rectrix parensque mundi altera, viris, feminis, ducibus, militibus, servitiis, artium praestantia, ingeniorum claritatibus, jam situ ac salubritate caeli atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, portuosis litoribus, benigno ventorum adflatu, quod contigit positione procurrentis in partem utilissimam et inter ortus occasusque mediam, aquarum copia nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate·quidquid est quo carere

1) Cic. de leg. III, 5. 6. — 2) VII, §. 130. — 3) XXX, §. 13 nec satis aestimari etc. Sed de Romanorum humanitate cfr. XXVIII, §. 12!! — 4) XXVII, §. 3. — 5) XXIV, §. 5·

vita non debeat nusquam est praestantius: fruges, vinum, oleum, vellera, lina, vestes, juvenci · ne equos quidem in trigariis ullos vernaculis praeferunt · metallis auri, argenti, aeris, ferri, quamdiu licuit exercere, nullis cessit terris et nunc intra se gravida pro omni dote varios sucos et frugum pomorumque sapores fundit."

INDEX.

VITA.

Carolus Robertus Ludovicus Rummler, Silesius, natus sum Javorae, oppido ad Nissam torrentem sito, a. d. VIII. Calend. Jun. ann. MDCCCXXXIX patre Carolo saponario, matre Aemilia e gente Bartsch, quibus adhuc summi numinis beneficio superstitibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis domi imbutus sum. Annum agens quartum decimum inter discipulos II. classis Gymnasii Liegnitziensis ab Eduardo Muellero viro doctissimo atque humanissimo, optime de me merito receptus sum. Quatuor annis post testimonio maturitatis instructus almam litterarum Viadrinam Vratislaviensem petii, ut ad philologiae rerumque naturalium studia me conferrem. Sed cum nimis diversis disciplinis animum distrahi sentirem rerum naturalium studio relicto philologiae totum me dedi. Vratislaviae autem per tria semestria scholas audivi philosophicas Ill. Branissii, philologicas v. v. Ill. Haasii, Rossbachii, chemicas Ill. Loewigii, physicas Cel. Marbachii. — Autumno anni MDCCCLVIII Gryphiswaldiam profectum me rector magnificus Ill. Haeser in numerum civium academicorum recepit. Per quinque semestria interfui scholis v. v. Ill. philologicis Schoemanni, Hertzii, Susemihlii, germanicis et linguisticis Hoeferi, historicis Schaeferi, philosophicis Georgii et Susemihlii, theologicis beat. Kosegarteni. Seminarii quoque philologici Gryphiswaldensis per IV semestria sodalis, per unum senior fui. Omnibus his viris egregie de me meritis pio animo gratias ago maximas.

THESES.

1. Recte scripsisse Urlichsium Plin. II, §. 20 (Chrest. Plin. p. 10): Agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum, anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus? Dubitemusne? Vix prope est judicare, utrum magis conducat generi humano, quando aliis nullus est deorum respectus aliis pudendus.
2. Niebuhrii sententiam de Decemviris esse probandam.
3. Apud Festum s. v. praeteriti legendum esse arbitror: — donec Ovinia tribunicia intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quemque Quiritium in senatum legerent.
4. Cornelium Nepotem in schola non esse legendum.
5. Fr. Haasii emendationem primi carminis Tibulliani, transpositione tentatam, probandam esse.